

13
14
15
16
17
18
19
20



1702.

13. Ludovici, Jac. Ferd. : Lectiones publicae ad Compensationem Novul-
larum Testiniansi . . . intimat et simul de natura Librorum.

Interpolationis Romanae et Germanicae . . . praefatus.

4. b. c. d.

14. Ludovici, Jac. Ferd. : De impositione silentii 4^o Febr. 1702,
1711, 1711 & 1747.

15. ^{a. b. c. d.} Ludovici, Jac. Ferd. : De iudicio in causis principum pro-
stantium matrimonialibus.

16. ^{a. b.} Ludovici, Jac. Ferd. : De iure carnicum in bonis
propriis eorum et quae circa eos reperuntur. 1702, 1739,
3 Febr.
& 1749.

17. ^{a. b.} Ludovici, Jac. Ferd. : De iudicio fortunarum. 2 Febr. 1702,
2 1739

18. ^{a. b.} Ludovici, Jac. Ferd. : De immunitate non excusante
3 Febr. 1702, 1702, 1739.

19. ^{a. b.} Ludovici, Jac. Ferd. : De solemnibus iuramentorum 3 Febr.
1702, 1702 & 1739.

20. ^{a. b.} Ludovici, Joh. Petrus : Edictum Julium contra Phlegmatro
Christianos. 3 Febr. 1702, 1717 & 1740.

21^{a. b.} Ludovig, Joh. Petr.: Apusio superius q̄ imperio vindicata, contra Cosumum et Pukerum ad septores Gallos.

2 Sept. 1702 & 1739

22. Schmeider, Joh. Friedemann: De illicita contra principum vote defensione

23. Schmeider, Joh. Friedemann: De Proferum religione

24. Stahl, Georgius Ernestus; med. D. et prof. publ. ord. h. f. Decanus:

Presumptio in mag. se curatione in charta (ad dispensationem in mag. Joh. Petri Panti inuitat.)

25. Stahl, Georgius Ernestus: De morbis corruptis

26. Stahlus, Georgius Ernestus: Morbis thesaurum medicum
... publico ... examini submittit.

[Faint, illegible handwritten text on the left margin of a blank, aged page]



[Faint, illegible handwriting in a cursive script, likely a historical document or letter.]



76. DISSERTATIO JURIS PUBLICI

De

1702 1679 5

**JUDICE IN CAU-
SIS PRINCIPUM PRO-
TESTANTIUM MATRIMO-
NIALIBUS,**

Quam

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE ET DOMINO,

**DN. FRIDERICO
WILHELMO,**

REGNI BORUSSICI, ELECTORATUS ET PRO-
VINCIIARUM BRANDENB. HEREDE,
ET RELIQUA,

In Illustri Academia Fridericiana

PRÆSIDE

JAC. FRIDERICO LUDOVICI,
JUR. LIC. ET PROFESS. PUBL. EXTR.

Publico Eruditorum examini submitit

DIETERICH DE GROTEN,
Eques Gvestphalus.

Ad D. XXX. Mart. MDCCII. Horis locoque confvetis.

HALÆ MAGDEBURGICÆ,

Litteris Christiani Henckelii, Acad. Typogr.

75.

DISSERTATIO JARIS PRAELECTORIS
JUDICII IN CASU
SOCIETATIS
LITTEARUM
HALLAE
1774
KON. BIBL.
DER
UNIVERS.
HALLE.



Diss. Jur. Publ.
469 - 483.
Ludovici - L7

471 - 487

89.25

Band XXV

Dissertatio Paris Parisi

DAVID LEONARDUS
DE OLYMPIO
COMITIBUS
MILITIBUS

LEONARDUS
OLYMPIUS
COMITIBUS
MILITIBUS



PATRI PATRIÆ

*Illustrissimo ac Celsissimo Comiti
ac Domino*

**DN. FRIDERICO
ADOLPHO,
COMITI REGENTI AC NOBILI
DOMINO**

De Lippia

**SUPREMO DYNASTÆ VIANÆ
AMEYDÆ &c.**

**Burggravio Ultrajecti, Domino in Nor-
dolos Clütingen, Hafften Hervveinen, Helau,
Neufeld &c.**

Domino suo Clementissimo

*Omnimodam felicitatem humillime
apprecatur*

Diederich de Groten.

ILLUSTRIS-SIME AC CELSIS-SIME COMES,
DOMINE CLEMENTISSIME,



Uanquam, fere omnes, qui scripta sua illustribus personis consecrare meditantur, hæc præalio cura detinere solet, ut dignas facti rationes adducant, quibus se ab importunitatis nota purgari putant; tamen ea illa me hic plane eximit singularis Tua Clementia, Illustrissime Comes, quippe quæ nil nisi benignissima expectare permittit. Cum autem honestis viris inter sanctissima officia positum, aliorum

rum præclaro de se iudicio pari animi
promtitudine occurrere, nec deterio-
rem illorum opinione se exhibere:
Quanto magis & laborandū mihi erit,
ne tanti Principis tam clementer in
me propensam gratiam parum prom-
ta veneratione excipere videar. San-
cta hinc perpetuaque mihi erit gratia-
rum memoria non tantum Tuarum,
sed & Antecessorum Tuorum (glorio-
sissimæ memoriæ) quæ dudam jam in
majores totamq; familiam meam dul-
ci velut imbre ita sese diffuderunt, ut
nesciam, quibus gratiam meam men-
tem explicare possim. Cum vero ali-
qua temporis mora adhuc opus, dum
dignum Tibi, Illustrissime Comes, sub-
jectissimi cultus mei specimen repre-
sentem, mearum jam esse partium du-
xi, in antecessum qualecunque docu-
mentum devotæ meæ mentis exhibe-
re. Et illud est, cui pondus audaciæ
meæ



meæ ad scribes, quod præsentēs plagulas, primitias studiorum meorum Academicorum, Illustri Tuo nomini debita devotione consecrare atque inscribere ausus sum. Nam & alias in magnis voluisse sat est. Ego in futurum eo semper annitar, ut per integrum vitæ meæ spatium, uti fidelem subjectum decet, factis potius quam verborum cumulatione, animum meum ubicunque exprimam. Suscipe hoc igitur, Illustrissime Comes, clementissimo vultu, rivulosque pristinae gratiæ ab Augusta Tua domo prædecessoribus meis semper uberim indultæ in me quoque jam derivari patiaris. Non cessabo ardentes ad Deum O. M. fundere preces, ut tibi concedat salutem integram, fortunam prosperam faustaque omnia, ut ita sub umbra alarum Jehovæ floreat regimen Tu. Ita devota mentis pietate voveo.



B. C. D.
DISSERTATIO JURIS PUBLICI
De,

Judice in Causis Principum Prote-
stantium matrimonialibus.

CONTENTA TOTIUS DISPUTATIONIS.

Distinctio inter Jurisdictionem secularem & ecclesiasticam. Cau-
se matrimoniales ad ecclesiasticam referuntur. §. I. Ecclesiasti-
ca Scriptura est incognita. §. II. Ortum habet ex corrupto Chri-
stianismo. §. III. quod fustus ostenditur §. IV. & V. Conniventia Im-
peratorum incrementa sumit §. VI. Ex hypothesi Pontificiorum est
absoluta & nullis limitibus circumscripta. §. VII. In omnes Reges &
Principes competit §. VIII. Matrimoniales cause ideo ad eam per-
tinent, quia matrimonium apud Pontificios est sacramentum §. IX.
Jurisdictio illa intuitu Protestantium per Instrumentum Pacis est
suspensa §. X. Notatur Buckisch, Pontificiis hac parte jus suum non
plane ademptum esse existimans §. XI. Corruente hypothesi de nu-
mero septenario sacramentorum, matrimonium apud Evangelicos est
res merè civilis §. XII. Transitio ad ipsum thema. §. XIII. Principes
nullum habent Judicem in his terris, & sic neque in matrimoniali-
bus. §. XIV. Queritur, utrum hoc assertum etiam ad Principes Im-
perii quadret? §. XV. Principes Imperii omnia possunt, quæ alii
Principes, nisi restrictio ex Legibus publicis doceatur §. XVI. Talis
restrictio est, ut coram Austregis, & summis Imperii Tribunalibus
conveniri queant §. XVII. Disquiritur, an ea restrictio quoad causas

matrimoniales etiam locum habeat. Non pertinent he cause ad forum Austregarum, quod fuse ostenditur & ad rationes dissentientium respondetur §. XVIII, XIX. & XX. An ad Cameram Imperialem pertineant? Rationes affirmantium §. XXI Approbatur sententia negantium & ad argumenta contraria respondetur §. XXII. & XXIII. Utrum Judicium Aulicum pro foro competente agnoscedum? Rationes affirmantium §. XXIV. Exemplum Ludovici IV. Imperatoris. Imperatorem jurisdictionem ecclesiasticam intuitu Protestantium postliminio recuperasse putant. §. XXV. Ulteriores rationes pro hac sententia affirmativa §. XXVI. Respondetur ad rationem primam §. XXVII. ad secundam §. XXIX. Jurisdictio Ecclesiastica post Instrumentum Pacis ad Imperatorem neutiquam rediit §. XXIX. Removetur dubium ex Ordinatione judicii Aulici desumptum §. XXX. Cause matrimoniales ergo non pertinent ad judicium Aulicum §. XXXI. Multo minus ad Commissarios ab Imperatore delegatos §. XXXII. Judex delegatus sine delegante concipi nequit §. XXXIII. Respondetur ad exempla in contrarium adducta §. XXXIV. Aliud tamen est, si non de ipso matrimonio, sed de ejus saltem accidentalibus, de alimentis, de dote, &c. agatur, tunc enim causa ad ordinarium Judicem pertinet §. XXXV. Nonnulli questionem de judice in causis matrimonialibus Principum Protestantium ad decisionem Imperatoris & Statuum remittunt §. XXXVI. Alii Consistorium aliquod universale erigendum esse existimant, §. XXXVII. Novum consilium de modo instituendi hoc Consistorium a larvato Riccrunto suppeditatum §. XXXVIII. Institutio Consistorii universalis est moraliter impossibilis §. XXXIX. quod distincte ostenditur §. XL. Ostenditur etiam insufficientia Consilii a Riccrunto subministrati §. XLI. Respondetur novo Riccrunti effugio §. XLII. Svasso aliorum, ut pars lesa injuriam illatam aequo animo ferat, questionem presentem non conficit §. XLIII. Rejicitur Reinkingii opinio, ac si Episcopi Pontificii ob continentiam cause interdum de causis matrimonialibus Principum Protestantium judicare possint §. XLIV. Cuiam directorem pre aliis assignandum, si contingeret, ut Consistorium universale institueretur? §. XLV. Subjicitur vera sententia de judice in causis
Prin-

Principum Protestantium matrimonialibus. §. XLVI. Ordo dicendorum. §. XLVII. Si Princeps subditam suam in uxorem ducit, ipse in propria causa Judex esse potest. §. XLVIII. Quae sententia rigida dici nequit. §. XLIX. Si vero uxor, perinde ut maritus est ex immediatorum ordine, tunc res aliter se habet. Hornii opinio de indole Imperii maritalis. §. L. Marito omnimodam potestatem tribuit. §. LI. Refellitur illa & monstratur maritum hoc casu non esse Judicem Uxoribus. §. LII. Afferitur tamen eam tanquam hostem a marito expelli, vel uxorem a marito propria auctoritate discedere posse, si ea sit pars lesa. §. LIII. Principes nostri non opus habent dispensatione, quoad gradus jure humano prohibitos. §. LIV. Melius tamen facit Princeps si quando ipsi cum uxore subdita res est, ut omnem suspicionem a se removeat. Examinatur consilium Bardili. §. LV. Suspicionem evitat, si iudiciis suis se sponte submittit, vel etiam extraneis. §. LVI. (Exemplum Henrici II, Regis Angliae. §. LVII.) Vel si sententiam ab impartialibus requirit. §. LVIII. Philippus Hassia Landgravius in casu Polygamiae Theologos consulit. §. LIX. Qua ratione Consilium à Theologis suppeditatum defendi possit? §. LX. Si uterque conjux est aequè immediatus, in arbitros est compromittendum. §. LXI. Si pars nocens compromissum renuit, innocens causas, ob quas conjugem vel expulerit, vel deseruerit, publice exponere potest. §. LXII. Procedunt haec, quae dicta sunt, etiam in Apanagiatis. §. LXIII. Item in Liberis Principum. §. LXIV. Conclusio Dissertationis. §. LXV.

§. I.



Uemadmodum omnibus, qui de natura & diversis jurisdictionis speciebus litteris quaedam consignarunt, non infrequens est, ut inter varias ejusdem divisiones hanc quoque principaliter adducant, qua in secularem & Ecclesiasticam dispesci communiter solet, quod ipsum Theodoro Reinkingio, Scriptori

A 3

ptori sui ævi admodum celeberrimo, occasionem suppeditavit, integro Volumine *de Regimine seculari & Ecclesiastico* hanc materiam pertractandi: ita quoque non minori opera Scriptores in eo occupatos esse deprehendas, quænam causarum genera ad utramque hanc Jurisdictionis speciem referri debeant. Nostri jam non est instituti, ut omnia percurramus, & quomodo sæpius & hac parte, ut alias, impingi soleat, disquiramus; sufficere nobis in præsentī poterit hoc adnotasse, in eo convenire plurimos, imo ut credimus omnes, quod causæ matrimoniales non ad secularem, sed ecclesiasticam potius jurisdictionem sint referendæ, de cujus rei origine paucis quædam fundamenti loco nunc differuisse, non inutile fore arbitramur.

§. II. Distinctè tamen hîc procedendum erit. Nec enim una fidelia duos dealbare poterimus parietes. Id scilicet prius eruendum, unde ipsa, quæ dicitur, jurisdictio Ecclesiastica ortum suum traxerit: deinde etiam, ex quo fundamento matrimonialia characterem ecclesiasticum sortita fuerint, addendum. Prius quod concernit, extra dubium quidem positum est, Papam Romanum (nam à Romanensibus adlata distinctio jurisdictionis inventa est,) tanquam præsentem Christi Vicarium in his terris fundamentum suæ potestatis ex ipsa sacra scriptura derivare velle, quem in locum varia ejusdem loca obtorto quasi collo ab ipsius satellitibus in medium produci solent; verum, uti jam alii ante nos hæc straminea argumenta dudum confutarunt, ita nobis in præsentī sufficere poterit, si modò hoc observemus, officium Doctoris sive Apostoli & illius, qui jurisdictioni præest, non esse compatibilia, sed diversissimæ naturæ: Christum propterea Judicis vices nunquā gessisse, sed potius omni studio eas declinasse: Eundem discipulis suis, ne ad exemplū potestatum secularium imperarent, serîo interdixisse: & ipsos denique Apostolos huic Doctoris sui saluberrimo monito probe obtemperasse. Puerilia proinde sunt, quæ habet Papa Innocentius III. in *c. solita. 6. X. de majoritat. & obedient. Deum*, inquires, duo ma-
gna

gna fabricasse luminaria, id est, dignitates, que sunt Pontificalis auctoritas & Regalis potestas. Illam autem, que præest diebus spiritualibus majorem esse, que verò carnalibus, minorem, ut quanta est inter solem & lunam, tanta inter Pontifices & Reges tam in secularibus, quam spiritualibus esse cognoscatur differentia, & quæ plurimæ aliæ in d. cap. habentur Papales ineptiæ. Ignoscat autem Innocentius: Consequentia illa non magis procedit, quam altera illa, quæ in libellis Logicorum solet adduci: Baculus stat in angulo, ergo cras pluet.

§. III. Quod si ergò prætenfa illa Papæ Jurisdictio Ecclesiastica tam incognita est limpidis Salvatoris nostri principis & Novi testamenti fontibus, unde ergò originem ejusdem deducemus? Ex nullo sanè alio, quam ex quo omnis corruptio Christianismi profluxit, quæ hodiernum in omnibus sæclis caput suum instar venenati serpentis erigit. Binis verbis, postquam mundus veluti intrusus in ecclesiam fuit: postquam Episcopi acerrimè inter se certarunt de summis sedibus, ac sicuti olim arbori vitæ prælata arbor scientiæ maxima dederat mala, ita tunc quoque curiosa eruditio Pietati antehabita & ex Religione ars facta: cui deinde conficiens fuit, ut ad exemplum eorum, qui turrim Babylonicam ædificabant, affectatio temeraria rerum sublimium dissonas locutiones & discordiam pareret, quibus plebs conspectis sæpè nescia, quò se verteret, culpam in sacras literas & eas tanquam venenatas cœpit fugere. Religio autem passim non in mentis puritate, sed quasi reductò Judaismo in ritibus collocari cœpit: & in iis, quæ corporis magis exercitationem, quam animi emendationem in se continent, itemque in studio flagrante semel electarum partium: tandemque evenit, ut ubique multi essent Christiani nomine, re paucissimi, sunt verba Magni Grotii de ævo Constantiniano in *tract. de verit. Relig. Christian. lib. 6. §. 1.* Quid magis commodum fuisset introducendæ Jurisdictioni Ecclesiasticæ, quam illa veræ Religionis corruptio?

§. IV. Meretur, ut quæ ex venenato hoc fonte temporis progressu pestiferæ profluxerint consequentiæ, paulò fufius deducatur. Hic autem jam nobis otium fecit Petrus Suauius in *hiflor. Concil. Trident. lib. 4. cujus verba huc pertinentia excerptit B. Zieglerus in tr. de Jurib. Majest. lib. 1. Cap. 19. §. 8.* ex quibus ea, quæ ad scopum nostrum pertinere videbuntur, huc transferemus. *Postquam, inquit, Christus Apostolis Evangelii prædicationem delegaverat, ipsis sub persona omnium fidelium magnum quoque mandatum reliquit, ut diligenter invicem & offensas mutuò condonarent, singulis præcipiens, ut intercederent inter dissidentes & dissidia componerent, atque in summum ac ultimum remedium eam curam corpori Ecclesie commendans, adjectâ promissione, ligatum & solutum iri in celo, quod in terris ipsi ligasset ac solvissent.* Huius mandato convenienter præcipit D. Paulus, quoties inter fratres lites civiles exoriebantur, infidelium tribunalia ne adirent, sed viris prudentibus inter suos delectis controversas judicandas permitterent. Ubi tamen, antequam progredimur, id saltem notamus, non improbâsse Paulum ordinem iudiciarium, nec id voluisse, ut fideles ordinario Magistratui se subtraherent, sed eapropter solummodò judicia infidelium disfavisse, ne infenti Christianorum hostes exinde occasionem fumerent, prout tunc moris erat, cavillandi Christianam Religionem, ac si ea nil præcipui habeat præ superstitione Gentilium atque Judæorum, sed perinde sit, sive quis Christianismo addictus vivat, sive alterius Religionis placita sequatur, alias enim permittere non potuisset, ut lites Christianorum coram fidelibus arbitris deciderentur, v. l. *Corinth. 6. vers. 1. seqq. & præcipuè vers. 5. ibi: Ist so gar kein weiser unter euch? oder doch nicht einer / der da könnte richten zwischen Bruder und Bruder?*

§. V. Fecit Episcoporum id temporis probitas atque charitas, ita pergit Suauius, ut in illorum opinione prope omnes acquiescerent, paulatimque Ecclesie causam dedit, postquam charitas illius reflexerat & munus à Christo illi impositum negligenter administrari

ca-

cæperat, curam omnem in Episcopum conjiciendi, ambitio autem, adfectus admodum subtilis & animo umbrâ specieque virtutis sese insinuare aptus, persuasit Episcopis obviis eam ulnis amplexari. Verum isthæc mutatio ad summum non pervenit, nisi postquam à persecutionibus cessatum esset. Tunc enim Episcopi veluti tribunal sibi erexerunt, quod litigandi causis unâ cum accessione facultatum temporalium auctis, evasit subito frequentissimum. Et judicii forma, quamvis non eadem erat cum veteri illa, quâ de Ecclesie assensu omnia statuebantur, eandem tamen retinuit sinceritatem. Unde Constantinus Imp. exploratò hujus judicii in controversiis terminandis fructu, quantumque possêt vis Religionis in capturis & fraudibus actionum detegendis, quas Judices deprehendere non poterant, legem sanxit, ut à sententiis Episcoporum provocatio non esset, easque Judices exsequerentur. Quinimò lite coram Judice seculari pendente, quicumque esset cause status, si alterutra pars, alterâ licet obluante, Episcopum sibi Judicem deposceret, illicò ad ejus cognitionem lis referrebat. Recte hæc omnia, nisi quod in eo fallatur S. S. S. dum putat, tempore Constantini adhuc illa Episcoporum tribunalia eandem retinuisse sinceritatem, quam antea habebant. Sane ubi charitas refrigit & ambitio animos hominum invalit, prout de istis temporibus testatur Autor, ibi eandem sinceritatem adesse vix dici poterat, quæ tunc temporis, quo probitas exuberans & charitas penes Episcopos deprehendebatur, aderat. Potius ergo censuram meretur Constantinus, quod Regimen Clero indulserit, quam quod propterea laudibus sit evehendus.

§. VI. Nata sunt illis temporibus Jurisdictionis Ecclesiasticæ, Audientiæ Episcopalis & similium titulorum nomina. Quo enim magis simplex Salvatoris doctrina & humilis vita Episcopis exosa fiebat: eo magis ad secularium titulorum pompam atque imperium mundanum adspirabant. Et hic sæpè Imperatores ipsi occasionem suppeditabant extendendæ Monarchiæ clericali, prout ex historiis notum est, donec tandem illa Monarchia in Papatu Romano ad summum fastigium

gium perveniebat & sæpè ipsos Imperatores de foliis suis deturbare intendebat, quod fusè demonstrari posset, nisi verendum esset, ut nimis excresecat hæc tractatio præliminaris, cui angustos saltem limites posuimus, videri interim possunt. Walo Mellalinus *de Episcop. & presbyt. cap. 6.* Hugo Grotius *de imp. summ. potest. circ. sacr. c. 9. num. 11. 12.* Franc. Duarenus *de sacr. Eccles. Ministr. l. 1. c. 2. seq.* & quos allegat Ziegler *d. c. 19. §. 8. in fin.*

§. VII. Vides ergò, quâ ratione divisio imperii inter Principes & Papam stabilita fuerit, unde & nova distinctio inter territorium & Diocesim simul ortum traxit. Et quemadmodum Principes in his terris neminem agnoscunt superiorem, nisi solum Deum, cui rationes actionum suarum reddere tenentur: ita & Pontifices in spiritualibus nemini, nisi eidem Deo se obstrictos esse gloriantur, inde eorum affectu scribere haud verentur, Papam esse omnia & super omnia, Marth. *de Afflictis decis. 265. n. 14.* habere eum cœlestis arbitrium, ac potestatem infinitam supra omnia & contra omnia, Socin. *Conf. 164. n. 4. inf. seqq.* Imò, ipsi Deo se æquales reddere voluerunt Pontifices, quò pertinent dicta: Papam omnia posse, ut DEUM, exceptò peccatò, item, eum habere divinitatem, nec cœli solum fores aperire, sed & si collibeat, postes effringere posse, Forcat. *in Cupid. Jurisperit. c. 9.* ac competere ipsi potestatem, ut contra ipsum jus divinum dispensare queat, Prosp. Farinac. *tract. de inquis. qv. 6. num. 23.* cujus farinae plurima collegit Reinking *de Regim. Secul. & eccles. l. 1. class. 2. c. 4. n. 50. seqq.*

§. IIX. Tolerari hoc malum aliquò modò potuisset, si ambitionem suam potestatem in solos privatos sibi arrogassent Pontifices. Sed quò non progreditur homo semel in perverfam mentem traditus? Verissimum manet illud: Wenn man einen Pfaffen mit ins Regiment nimmt / ist es eben so viel / als wenn man einen Marter ins Tauben-Haus setze / Gastel. *de stat. Europ. publ. c. 4. §. 6.* Exc. Dn. Bodinus *de illic. à Princ.*

à Princ. Prot. prov. in caus. eccl'es. §. 3. ubi multa huc pertinentia deprehendes. Neque enim prætentam suam potestatem ecclesiasticam in ipsos Reges & Principes Christianam Religionem profitentes solum extendit Papa; sed in secularibus etiam maximam sibi arrogavit auctoritatem. Ut alia prætereamus, binis saltem verbis in mentem revocamus iniquam prætentationem, inter Fridericum I. Imperatorem & Hadrianum IV. Papam acerrimè agitatam, quâ imperii nostri Dominum directum se esse iactabat, de qua consuli potest Christ. Eschmann in Chron. Spirens. lib. 5. cap. 68. Monzambano de stat. Imp. Germ. Cap. 1. §. 15. add. c. 34. X. de elect. ubi dicitur, Pontificis esse cognitionem, an persona in Imperatorem electa sit idonea, annon. Verum enim verò quamvis hæc iurium secularium usurpatio Papæ non ex voto cessèrit, sed ei Imperatores & proceres imperii masculè restiterint, v. Rein-king d. c. 4. num. 1. seqq. tamen è contrario in causis sic dictis spiritualibus omnimoda ferè potestas Præsuli Romano relicta fuit, quam hodiernum in plurimos Principes Catholicos eorumque subditos exercet.

§. IX. Sufficiant hæc de origine Jurisdictionis Ecclesiasticæ. Breviter nunc quoque juxta §. II. addemus, quam ob causam clerus causas matrimoniales ad forum suum pertraxerit. Scilicet, student finibus territoriorum suorum extendendis Principes: studet quoque clerus. Habent varios prætextus Principes: habet etiam clerus. De prætextibus Principum ut dicamus, nostri instituti non est; illud saltem observamus, Clerum non potuisse magis commodum remedium invenire, referendi matrimonium in classè causarum spiritualium, quàm per notum illud commentum de septem ecclesiæ sacramentis, quorum V necessaria esse dicunt, quæ sine interitu salutis æternæ prætermitti & contemni non possunt, ut sunt: *Baptismus, Confirmatio, penitentia, Eucharistia & extrema unctio*, quæ omnia ad particularem cujusque profectum sunt principaliter instituta: duo autem voluntaria, quæ

quæ sine salutis dispendio pro cujusque arbitrio recipi possunt, & refutari, qualia sunt: *Ordo sacer & matrimonium*, & hæc ad totius ecclesiæ profectum & subsidium principaliter pertinent ex Pontificiorum hypothese, v. Joh. Paul. Lancelott. *Instit. jur. Canon. lib. 2. tit. 2. §. 2.* Quamvis verò ipsi Pontificii in definienda prætensi hujus sacramenti natura non convenient inter se, aliis negantibus esse sacramentum, nisi solennia sacra sacerque adsit Minister: aliis autem adferentibus, ipsos conjuges esse, qui sacramentum efficiunt, non ministrum sacrum, neque actum ejus verbave requiri ex necessitate sacramenti, v. Melch. Canus *lib. 8. loc. commun. cap. 5. Casp. Ziegler ad Lancell. l. 2. tit. 10. §. 2. verb. inter alia sacramenta.* Quamvis etiam ipse Ziegler *ad cit. tit. 2. §. 2.* & communiter Theologi nostri abundè demonstraverint, matrimonium non esse sacramentum eò sensu, quò illa vox de Baptismo & Eucharistia in sacris litteris prædicatur; vicit tamen apud Pontificios fides carbonaria & vulgatum illud: *Credo, quod Ecclesia*, id est clerus, *credit*, ut nihilominus illud in numero sacramentorum & per consequens cognitio de causis matrimonialibus in foro clericali permanserit.

§. X. Suppositis hisce fundamentis, Pontifices & hæc parte, quamdiu tenebræ Papisticæ totum ferè Christianissimum obfuscârunt, in quietâ jurisdictionis ecclesiasticæ possessione manebant. Ast postquam Doctrinæ Evangelicæ Restauratores surgebant & non solum de veritate hypothese Pontificiarum, sed de ipsâ etiam Papæ autoritate in rebus fidei atque Ecclesiasticis dubitare generosò animò incipiebant, res longè diversum effectum sortita fuit. Nimis longum foret, si omnia & singula, quæ hæc parte à primo reformationis tempore usque ad Transactionem Passaviensem, & dehinc usque ad Pacem Westphalicam peracta fuerunt, ordine recensere vellemus. Sufficiet nobis ex ipso Pacis Westphalicæ instrumento *Art. 5. §. 48.* ea adduxisse, quæ cardinem totius negotii complectuntur. Ita verò ibi con-

conventum fuit à Pacifcentibus: *Jus Diœcesanum & tota jurisdictione Ecclesiastica cum omnibus suis speciebus contra Augustanæ Confessionis Electores, Principes, Status, (comprehensa libera imperii Nobilitate) eorumque subditos, tam inter Catholicos & Augustanæ Confessionis additos, quàm inter ipsos solos Augustanæ Confessionis Status usque ad compositionem Christianam dissidii Religionis (id est, in perpetuum) suspensa esto, & intra terminos Territorii cujusque jus Diœcesanum & jurisdictione Ecclesiastica se contineat.*

§. XI. Equidem Godofr. Ferdin. de Buckisch in *Observ. hist. polit. ad d. §. 48. verb. jus diœcesanum* existimat, propter verba: *suspensa esto*, jurisdictionem Cleri pontificii in ecclesiasticis nondum plane inter Evangelicos esse sublatam. Aliud enim esse dicit, non habere jurisdictionem, aliud eam non exercere, seu esse suspensam, donec per Dei gratiam, unanimitas sequatur. Sed quoniam ipse Buckisch hanc unanimatem moraliter impossibile esse prævidit, hinc parùm quoque ipsius distinctio Pontificii proderit. Putamus enim, hæc duo: aliquid in perpetuum suspensum & planè sublatum, esse, eundem habere significatum. Deplorat quidem & cum lachrymis Buckisch, nos in tempora incidisse, ubi etiam in gravissimi momenti negotiis ab omni jurisdictione omnique superioritate Ecclesiastica independentes nos miserrimè gloriamur; sed hæc superstitioso, ut mitissime loquamur, ejus Religionis Zelo condonanda erunt, & quod alia verba apud Gvil. Ign. Schütz, quem hîc, ut solet, excipit, in *man. pacif. p. m. 175.* non invenerit. Nos enim gaudemus & Deo æternas gratias persolvimus, quod nos felicissimè à jugo illo clericali & malè usurpata ecclesiastica jurisdictione demùm liberaverit. Superioritas quippe illa Papalis, cujus mentionem injicit, nihil aliud, quàm ens merè Antichristicum esse, certò persuasi sumus.

§. XII. Sublatâ itaque per Instrumentum Pacis jurisdictione Ecclesiasticâ Pontificiorum, & corridente hypothesi Papicolarum, matrimonium esse Sacramentum; non imme-

ritò dubitamus cùm Mevio *ad Jus Lubec. lib. 1. Tit. 4. num. 25.* an adhucdum apud Evangelicos causæ matrimoniales ecclesiasticis & spiritualibus sint accensendæ, an minus? Et negativam faciliè amplectimur. Quamvis enim contractus matrimonialis præ aliis etiam præcipuè sanctus haberi debeat, ideo quod ab ipso Deo sit institutus & ex moribus Provinciarum nostrarum illius consummatio accedente sacerdotali benedictione fieri consueverit; nihilominus tamen quantum ad formam & substantiam matrimonii, quæ in consensu & contractu perpetuæ cohabitationis consistit, aut quæ de eo sunt judicia, spectat, pro spiritualibus haberi nequeunt causæ matrimoniales, sed ut reliqui contractus ad seculares referendæ sunt, Hottomann. *Conf. 108. num. 2. Mindan. de Process. lib. I. cap. 10. num. 1. in fin. Mevius loc. prox. cit. num. 39.* Es kan ja niemand lûgnen/ inquit Lutherus *in præf. lib. von Ehe-Sachen/ daß die Ehe ein äußerlich Weltlich Ding ist / wie Kleider und Speise/ Hauß / Hoff/ Weltlicher Dbrigkeit unterworfen.* Et paulò post abhorrens ab hujus cognitione dicit: Wo wir beginnen Richter in Ehe-Sachen zu werden/ so hat uns das Kamp-Rad bey dem Ermel ergriffen / und wird uns fortreisfen/ daß wir müssen auch über Leib u. Gut richten/ da seynd wir dann hinunter unter das Rad / und ersoffen im Wasser des Weltlichen Handels / quod dictum illis commendamus, qui libenter alterum pedem in Curia habere solent. Hinc erroneo provenit principio, quod in plerisque locis matrimonialia in Consistoriis tractari soleant, cum abstrahendo ab hypothese Papistica eorū cognitio, non minus ac reliquorum contractuum, ad quemcunque Magistratum Politicum ordinarium pertineat, unde etiam illa in Palatinatu & Hassia à solis Politicis tractari testatur Georg. Schubhard *de Austreg. cap. 5. n. 84. Illustr. Dn. Stryk, in not. ad Brunnem. Jus Eccles. lib. 3. c. 1. §. 17.* & ni fallor Hamburgi & Noriberge solus Senatus oppidanus de iisdem cognoscit, Dn. Multz. *in represent. Majest. Imp. p. 2. c. 33. §. 4. n. 140. 141.* Interim tamen, quia femel ita intro-

introducitur est, ut Consistoria de iisdem cognoscant, & hoc quoque nihil in se continet, quod cum lege divina pugnat, ergo tolerari potest.

§. XIII. Quorsum autem, inquis, hæc omnia tendunt, quæ tam operosè de Jurisdictione ecclesiasticâ & foro causarum matrimonialium competente in genere adfers? Eò autem tendunt, respondeo ego, ut jactis ita benè fundamentis facilè nunc quoque de quæstione, circa quam præsens dissertatio occupatur, judicium ferri possit. Aliàs enim hæc doctrina vitio Cleri Pontificii, tum negligentia Theologorum & Ictorum Protestantium ita est corrupta & confusa reddita, ut nescio quæ sententia non possit rationibus si non veris, verosimilibus tamen & præjudiciis atque autoritatibus plurimis stabiliri, ut in simili loquitur Exc. Dn. Thomafius *in not. ad Monzamb. cap. 2. §. 8. lit. a.*

§. XIV. Scilicet, quantum ad subditos Principum Protestantium attinet, res inter omnes est expedita, cognitionem in eorum causis matrimonialibus ad solos Principes pertinere, quem in finem etiam Consistoria instituta fuere, licet hoc ex erroneo illo fundamento profluxerit, ac si duplici persona Princeps gaudeat, Imperantis & Episcopi, nam aliàs à Regimine Principis utriusque fori causæ decidi commodè potuissent. Ast verò, quisnam in ipsorum Principum causis Judex esse debeat, tot ferè sunt sensus, quot capita. Nos ita. Principes in his terris nullum agnoscunt superiorem, & propterea nec secularem, nec ecclesiasticum Judicem habent. Amiserant quidem hancce libertatem suam post stabilitam Monarchiam Papalem intuitu rerum ecclesiasticarum; sed per Dei gratiam postliminio eandem iterum recuperarunt ex Principum numero illi, qui veritatem doctrinæ Evangelicæ amplexi sunt. Ergo sibi ipsis jus dicere possunt, neque alium in causis quoque matrimonialibus Judicem agnoscere inviti tenentur.

§. XV. Non credimus, fore aliquem, qui de veritate hujus

jus nostræ assertionis dubitare præsumeret, si de Principibus illimitatam potestatem possidentibus, die da souverain sind/fermo instituitur. Verùm quod Principes Imperii (sub quibus omnes Status immediatos comprehendimus) atinet, res non æquè expedita esse videtur. Sive enim cum communi DD. schola Imperium nostrum classi mixtarum Rerump. accenseas: sive cum Severino de Monzambano aliisque illud irregulare & ad formam plurium Rerump. inæquali fœdere conjunctarum referendum esse dicas; res utròque casu eodem recidet, scilicet, deprehendi in Principibus Imperii Protestantibus (nam de iis nunc saltem loquimur) nexum aliquem, qui libertatem eorum aliquò modò restringit & ad observantiam LL. publicarum alligat. Unde à reliquis Principibus ad Principes Imperii non admodum firma procedere videtur consequentia.

§. XVI. Fatemur libenter, non posse ita universaliter inferri: Quicquid juris competit reliquis Regibus & Principibus absolutis, illud omni & eodem modò etiam Principibus Imperii est adscribendum, contrarium siquidem docet ipsa Superioritatis territorialis definitio, quando describitur, quod sit summa potestas in territorio tam quoad sacra, quàm quoad profana, nisi qua pactis cum subditis vel *legibus publicis restrictio doceri potest*, v. Per-Illustr. Dn. de Rhetz *instr. jur. publ. l. 2. tit. 1. §. 15. junct. tit. 2. §. 1.* Schweder *Introd. in Jus publ. part. spec. Sect. 2. Cap. 10. §. 3.* add. Illustris quondam hujus Academiae Cancellarius à Sefeldorff im *Teutschen Fürsten Staat / p. 2. c. 2. n. 1. Restrictionem* ergò superioritatis territorialis & Legibus Imperii publicis interdum adesse vides. Notanter autem dicimus *ex Legibus publicis*, ne nimis detrahas Juribus Statuum & plus, quam volunt illæ Leges, Majestati Imperatoris attribuas. In Sicilia & Neapolitano Regno Barones Regni absque permisso Regis non possunt ducere uxores, nec matrimonia concedere fororibus, filiabus & nepotibus, Garf. Mastrillus *de Magistratu lib. 4. c. 13. num. 213.* Matth. de Afflicis *ad*

Con-

Conflit. Regn. Neapol. lib. 30. rubric. 20. Ita quoque in Gallia, Anglia & Scotia servatur teste Joh. Strauch. *Instit. jur. publ. Tit. 32. lib. 1. §. 6.* Absit verò, ut talem restrictionem hic indigemus, in imperio enim nostro hac in parte matrimonia Principum sunt liberrima, nec præscitum Imperatoris desiderant, Strauch. *loc. cit.* & sanè tunc censura illa digni essemus, quâ Monzamb. *de stat. imp. Germ. c. 2. §. 7.* acriter notat eos, qui Marggravios nostros cum Marchesibus Italicorum vel Gallorum comparandos esse existimârunt.

§. XVII. Non est autem præsentis instituti, ut omnes eas restrictiones Superioritatis Principum nostrorum ex Legibus imperii colligamus: fecerunt id jam alii, quibus integram juris publici doctrinam ex fundamento proponere, animus fuit. Satis nobis esse poterit, modò ex communibus principiis supponamus, non solum à plurimis Statuum judiciis ad summa imperii Tribunalia appellandi subditis facultatem, concessam esse; sed ipsos quoque Principes coràm iisdem, quæ modò nominavimus, Tribunalibus, item in constituto Austregarum foro conveniri posse. Unde vides simul, nihil nobis ante omnia executiendum esse, quàm hoc saltem, utrum & causæ Principum matrimoniales ad unum ex hisce foris, scilicet ad Austregas, Cameram imperialem vel ipsum etiam Judicium Aulicum, pertinere ibique decisionem expectare debeant? Et iste est labyrinthus, quem illi Doctores, qui ante nos de hac materia litteris quædam consignârunt, effugere voluerunt. Nostrum ergò erit, ut singulas singulorum opiniones breviter percurramus, quò factò deinde juxta principia à nobis hætenus deducta facillè quocumque mentem nostram indoli Superioritatis territorialis, ut speramus, per omnia conformem, aperire poterimus.

§. XIX. Prima ergò quæstio nobis esto: *An causæ Principum matrimoniales in foro Austregario Judicem competentem inveniunt?* Sunt non pauci, qui disertè eam affirmant, inter quos Petr. Frider. Mindan. *de process. lib. 1. cap. 10. num. 4.*

C

Ziegler

Ziegler in *comm. conclus.* §. *Austrege. concl.* 2. n. 1. *Limnæus de jur. publ. l. 4. c. 8. num. 96.* *Ummius Disp. 4. ad process. judic. th. 20. n. 52.* *Mevius ad jus Lübec. l. 1. tit. 4. num. 48. it. P. 2. Decis. 365.* *Wurmser. Exere. jur. publ. 5. quest. 26.* *Argumentum palmarium, quod utuntur, desumptum est ex Ordin. Cam. p. 2. tit. 4. §. 1. ubi ita: Erstlich / so Prälaten / Grafen / Herren / die vom Adel oder Stadt / einen Churfürst. n / Fürsten oder Fürstmäſigen / Geistlichen oder Weltlichen mit Recht wolten beklagen / warumb oder aus was Ursachen das wäre / soll der Kläger den Churfürsten / Fürsten / oder Fürstmäſigen obgemeltdt ersuchen / &c. ex quibus verbis, præcipue autem illis: Warumb oder aus was Ursachen das wäre / quia generalia sunt & geminata, generaliter etiam ad causas matrimoniales inferendum esse censent. Quod si quis hanc assertionem data instantia de causis criminalibus infringere velit; non sunt difficiles, ut Austregas quoque de his ipsis criminalibus judicare posse affirmant, v. *Limnæum lib. 9. cap. 5. num. 63. seqq.* & quos ibi pro sua sententia allegat. Verum enimverò quemadmodum alii fusius ad hæc dubia jam responderunt, *Reinking de Regim. sec. & eccles. lib. 3. class. 1. Cap. 16. num. 38. seqq.* *Just. Sinolt dictus von Schütz 7. P. Vol. 2. Diff. 3. th. 13. lit. D.* *Illustr. Dn. Stryk de Foro Austreg. §. 33.* ita nobis hoc unicum adduxisse sufficiet, repugnare opinionem dissentientium scopo & primæ intentioni constituti fori Austregarii. In eo enim, ut putamus, consentiunt omnes & res ipsa hoc monstrat, forum illud introductum fuisse, ut Status Imperii non minus ac privati duplicem haberent instantiam, in qua momenta causarum suarum eò melius deducere possent, unde etiam prædicatum der ersten Instanz eidem sæpè tribuitur, *conf. rubr. tit. 2. part. 2. Ordin. Camer.* Quod si ergò Camera, ut postea ostendemus, nec in criminalibus, nec in matrimonialibus etiam judicare potest: sponte sua exinde profuit, nec voluisse constituentes, ut forum Austregarium hæc parte primam instantiam constituerent*

stituire debeat. Et hoc respectu admitto assertum Pseffingeri *in not. ad Viriar. Instit. jur. publ. lib. 4. tit. 5. §. 10. lit. a. ubi nulla secunda instantia, ibi nec primam dari consequens est, v. Ordin. Camer. P. 2. tit. 2. §. 2. vers. doch soll keiner Parthey / aliàs enim simpliciter & in universum non procedit.*

§. XIX. Quamvis ergò verba ex ordinatione Camera-
li in §. *prec.* adducta generalia sint & geminata, eadem ta-
men determinatè secundùm efferentis voluntatem, præsup-
positam potestatem, rei que subjete aptitudinem & qualita-
tem accipienda & determinanda, *Zasius lib. 1. sing. respons. cap. 6.*
6. quod ipsum agnoscit quoque *Limnæus de J. P. lib. 4. c. 8.*
num. 96. dum sententiam suam non ex intentione mente-
que Austregas primùm constituentium atque usurpantium
defendi posse dicit, quippe quorum non patiebatur religio,
causas matrimoniales civiles dicere; sed eò saltem nititur,
fundamentò, quia hodie inter Protestantes eadem causa
civilibus annumerantur, & propterea ad forum Austrega-
rium cum aliis ejusdem generis commodè referri possunt.
Verùm ut dicamus, quod res est, *Limnæus* hïc duas distin-
ctas quæstiones confundit, quarum una: annon hodiè Prin-
cipes Protestantes in controversiis matrimonialibus, *si velint,*
ad arbitros provocare possint? altera autem hæc est, utrum
forum Austregarum eò modò, quò constitutum est in Le-
gibus publicis, in tali casu pro competente agnoscendum, &
utrum Principes ad illud provocare *obstricti sint?* De priori
quæstione infra videbimus, posterior saltem hujus loci est,
quæ tamen negari debet, cum Austregis hodiè plus juris
competere nequeat, quàm ipsis ex intentione menteque
Austregas primùm constituentium atque usurpantium con-
cessum fuit. Hoc quidem largimur, potuisse per publicam
Constitutionem potestatem Austregarum intuitu Protestan-
tium ad causas quoque matrimoniales extendi; sed quamdiu
hoc non est factum, illa ipsa potestas adhucdum ex veteri-
bus Imperii constitutionibus est *dijudicanda.*

§. XX. Nec movent in contrarium verba, quæ habentur in *cit. Ordin. Cam. P. 2. tit. 2. §. 1.* Item / mit Rechtfertigung Churfürsten / Fürsten / oder Fürstmäßigen / Geistlicher oder Weltlicher umb Spruch und Forderung / die ihrer einer zum andern hätte / oder gewinne / soll es also gehalten werden / quæ adducit Ziegler in *Commun. conclus. §. Austregis, conclus. 2.* & exinde infert, quod quamvis adhuc apud nos pro spiritualibus haberentur causæ matrimoniales, eæ tamen nihilominus propter verba: Geistlicher oder Weltlicher umb Spruch und Forderung / coram Austregis ventulari possint. Concederemus libenter hanc illationem, modò Ordinatio Cameralis ita loqueretur: Umb Geistlicher oder Weltlicher Forderung und Spruchs; nunc verò, cum quilibet animadvertat, voces: Geistlicher oder Weltlicher referendas esse ad præcedentia, Churfürsten / Fürsten oder Fürstmäßigen / hinc illa consequentia nequiquam procedit. Possunt enim & Ecclesiastici Principes de causis civilibus conveniri. Pro hac nostra sententia, si auctoritates desideras, adducere possumus Illustr. Dn. Stryk in *Disp. de for. Princ. & privat. commun. c. 1. num. 93. seq.* Schubbarth, de *Austregis, c. 5. n. 88.* Mylerum ab Ehrenbach de *Princ. & stat. Imp. c. 20. n. 19.* Bardili disp. de *divort. ex caus. desert. th. 16.* ex quo multa hausit Lincæ in *Disp. de immed. Imp. Prot. for. in caus. matr. Sect. 2. num. 17. seqq.* Reinking de *Regim. sec. & eccles. l. 3. class. 1. cap. 10. num. 37. seqq.*

§. XXI. Succedit nunc secunda quæstio: annon causæ Principum Protestantium matrimoniales in Camera Imperiali ventulari possint? Affirmant eam Mevius ad *ius Lubec. d. 1. 1. Tit. 1. num. 48.* Mindan, d. c. 10. uum. 2. (qui tamen de iis saltem Personis loquitur, quæ privilegiatam Austregarum instantiam non habent,) & Johann. Blum. in *Diff. inaug. de eo, quod just. est in punct. malit. desert. th. 34. in med.* Rationes pro hac sententia adduci solitas recenset Lincæ in *d. Disput. num. 13.* quæ huc recurrunt, (1) quia Augustanæ Confessioni addicti ma-
trimo-

rimonium inter causas civiles referunt, Camera autem in rebus civilibus judicare potest. (2) quia Camera non modo ex secularium, sed Ecclesiasticorum quoque Principum conventionem constituta est; & verò Principibus Ecclesiasticis facultas cognoscendi de causis matrimonialibus competit, E. & Camerae, denique (3) quoniam si inter iudicii Cameralis personas causa matrimonialis agitanda, Camera cognosci potest, *arg. Ordin. Cam. P. 1. tit. 49. §. 4.*

§. XXII. Plurimi tamen ex DD. huc contrariam amplectuntur sententiam, conf. ex multis Joh. Wolffg. Textor in *Disp. Acad. ad Rec. Imp. noviss. Disp. 1. thes. 76.* Andr. Gail. 1. *Observ. 12. §. 17.* Dn. Coccejus *prud. jur. publ. cap. 32. §. 8.* Schweder *Introduct. in jus publ. part. spec. Sect. 2. Cap. 17. §. 31.* ex ea præcipue ratione, quod tempore constitutæ Camerae constituentes Religioni Pontificiæ addicti fuerint, ex quarum hypothese causa spiritualis cognitio iudicio seculari, quale juxta omnium confessionem Camera est, committi nequitiam potuit. Quantum ad rationes in contrarium adductas & quidem ad (1) attinet, ea luculenter exinde refellitur, quia Camera etiam post Pacem Religiosam à causarum matrimonialium cognitione expressè exclusa est per *Memoriale Visitationis in Comitibus Spirensibus d. 8. Dec. A. 1570.* erectum, quod allegat Petr. Denais. *ad jus Camer. §. 157. verb. matrimoniales causas.* Joh. Linnæus *de J. P. l. 4. c. 8. num. 92.* Schweder *loc. cit.* unde non opus est, ut cum Linckio *loc. ant. alleg. num. 14.* ad mixturam aliquam confugiamus, ac si scilicet etiam apud Protestantes causa matrimonialis certò respectu ecclesiasticæ vel spirituales sint, & sic pro merè secularibus haberi nequeant; contrarium enim jam supra demonstravimus, nisi forsitan mixtum illud in eo quærere velis, quod in nostris Confistoriis præter Politicos etiam ex Theologorum numero quidam adhiberi soleant, quod ipsum tamen nec necessitatis esse jam ante ostendimus.

§. XXIII. *Secundum* argumentum nullius planè est valoris. Nec enim sequitur: Hoc iudicium constitutum est ab Electore, vel Principe Ecclesiastico, ergo illud quoque est ecclesiasticum, cum in nostro Imperio Electores & Principes Ecclesiastici duplicem sustineant personam, alteram Principis & Statûs Imperii, alteram autem Archiepiscopi, Episcopi &c. Sane quando ad constitutionem Camerae concurrunt, non ut Episcopi, sed ut Principes considerari debent, jurisdictionis enim Ecclesiasticae, quâ gaudent, à Papa proveniunt, jus autem constituendi Assessores Camerae ab Imperatore & Imperio confertur. Quid enim Papae cum Camera? quid Saul inter Prophetas? *Tertium* denique fundamentum deductum quidem erat ex argumento Ordinationis Cameralis; sed eodem modo, quo saepe in jure civili fieri solet, ut scilicet DD. admodum confidenter ad argumenta Legum interdum provocent, & tamen in ipsis Legibus, si evolvantur, ne minimum quidem deprehendantur, quod ejusmodi argumentorum fabricatoribus prodesse queat. Prodeat ipse textus Ordinationis Cameralis *d. P. 1. tit. 49. §. 4.* qui ita sonat: So wollen die Kayf. Maj. alle und jede des Kayf. Cammer-Berichts Personen in J. R. M. und des Heil. Reichs Verspruch / Schus und Schirm hiemit auffgenommen / auch allen Chur-Fürsten / Fürsten / Ständen und Städten / und sonderlich denen nächstgesetzenen des Orths / da das Cammer-Bericht jederzeit gehalten wird / obgemeldete Personen bey solchem der Kayf. Maj. und des Reichs Schus und Schirm zu handhaben und zuerhalten / hiemit ernstlich auffgelegt und befohlen haben. Jam fiat exinde argumentum!

§. XXIV. Remotâ nunc Austregarum & Camerae Imperialis competentia, ad *Judicium Aulicum* progredimur, inquisituri, *annon ibidem cause Principum Protestantium competentem suum Judicem inveniant?* Non desunt autem hic, uti in praecedentibus, qui affirmativae subscribant ac Imperatori potestati

statem concedant, de causis matrimonialibus Principum Protestantium judicandi. Ex multis unum nominatim sufficiat Joh. Wolfg. Textorem, qui in *Disp. Academ. ad Rec. Imp. noviss. Disp. 1. th. 74. & 75.* hanc affirmativam duabus præcipue rationibus stabilire nititur. *Prima hæc est, quia Jurisdictio Imperatoris est universalis & omnibus casibus adhuc exerceri permittitur, in quibus non prohibetur per leges, consuetudines, vel privilegia Statuum, arg. l. 9. ff. ad L. Rhod. de jact.* (cujus legis occasione olim inter Bulgarum & Martinum coram Imp. Frederico de questione, *quomodo Imperator sit Dominus mundi?* contentio oriebatur, Bulgaro defendente, quod Imperatori tantum *imperium* competat, Martino autem quod omnium bonorum *dominium proprietarium* habeat, adfructuente, ob quam sententiam Martinus equo à Cæsare donatus, Bulgarus autem ita conquestus est:

Dixi æquum, amisi æquum, quod non est æquum,

vid. Herm. Conring. *de orig. jur. Germ. Cap. 23. p. m. 145.*) *Secunda* Textoris ratio est, quia ab initio etiam causæ matrimoniales citra dubium pertinuerunt ad cognitionem Imperatorum, prout ostendunt tot Leges & Rescripta Juris Justiniani, tot. tit. ff. & C. de Sponsalibus, de ritu nuptiarum, de divortio & repudiis, v. Casp. Klock. *Consil. 51. num. 375.* Quamvis ergo, pergit, Pontifices sequiori tempore ac præsertim in Imperio Germanico causas matrimoniales ad suum forum traxerint contententibus Imperatoribus; nihilominus tamen hanc Jurisdictionem à se non planè abdicasse Imperatores existimat.

§. XXV. Addit Schwederus *Introd. in jus publ. part. spec. sect. 2. Cap. 17. §. 32.* non modò exemplum Ludovici IV. Imperatoris, qui inter Johannem, Regis Bohemiarum filium, & Margaretham, Ducissam Carinthiæ, in causa divortii ob impotentiam sententiam tulit, ex Goldasti *tom. 2. Monarchia S. R. Imperii*; sed etiam postquam Transactione Passaviensi, Pace Religiosa atque Instrumento Pacis Monasteriensi confirmatâ, Jus Diocesannum & tota jurisdictione Ecclesiastica Pontificiorum

rum cum omnibus suis speciebus contra A. C. status eorumque subditos suspensa fuit, ex suspensa Jurisdictione ad Imperatorem jus omnium eorum, quæ ante Pontificiam Jurisdictionem habuit, quasi postliminiò rediisse remque adeò in eum statum, in quo ante Pontificis & ordinis Ecclesiastici arrogantiam fuit, ita deductam esse censet, ut ad Tribunal Imperatoris causæ matrimoniales A. C. addictorum omninò deferri posse videantur. Quicquid enim, concludit, juris circa sacra Papa Imperatoribus ita extorsit, cum omnibus, quæ juris extorti occasione sibi sumit, pessimâ fide possidet, nec ullo titulo præscriptionis, multo minus jure suo se tueri rectè potest, Cran. *de pac. religios. part. 1. probl. 4. in connex. num. 4.* Arnold Engelbrecht *de jurisdic. n. 95.*

§. XXVI. Eadem ferè reperiuntur in *Disp. Bardili de divort. ex caus. desert. th. 10.* qui tamen in *th. 11.* adhuc ulterius ita pergit: Quanquam vero, inquit, Sacra Cæsarea Majestas juxta Pontificiæ Religionis, quam profitetur, principia in ejusmodi causis Romani Pontificis judicio haud dubie vel sponte sese sit subjectura, quod utique nonnisi cum maximo præjudicio ipsorum Protestantium fieri posset, ut inde ipsa Jurisdictio Ecclesiastica Statuum A. C. reverà & in effectu contra Pontificem suspensa non esset, sed deterioris potius conditionis redderentur Status immediati A. C. addicti, quam eorum subditi; sciendum tamen, quod utut jurisdictionis, quam Pontifex sibi in causis ecclesiasticis adversus suæ Religionis addictos ipsumque adeo Imperatorem vindicat, per Transactionem Passaviensem non sit suspensa; suspensa tamen sit ejusdem potestas in omnibus, qui non sunt Pontificiæ Religionis addicti, proinde in respectu, qui est inter Imperatorem, tanquam caput, & Status Imperii Augustanæ Confessionis, tanquam membra eidem subjecta, res ad pristinum omnino statum, qui fuit, antequam Pontifices soli potestatem in causis Ecclesiasticis usurpârint, sibi quodammodo propriam fecerint, reducta videatur. Repetuntur hæc omnia

nia in *Disp. Linckii antè cit. c. 2. num. 19. & 20.* sed tamen adhuc adducitur textus *Ordin. Jud. Aul. tit. 2. in pr.* ubi habetur, daß Geist und We. tliche Sachen vor den Reichs, Hoff. Rath gehören.

§. XXVII. Dispicendum nunc, an & quid hæ recensitæ rationes in recessu habeant, quibus nec ipsi earum Autores, solo Textore excepto, multum tribuunt. Generaliter dicimus cum *Illustr. Dn. Strykio in Disp. de for. Princ. & subdit. comm. cap. 1. num. 99.* quod tenera hodiernorum Imperatorum conscientia & devotio nos sperare vetat, fore, ut cognitionem causarum matrimonialium inter Protestantes ad forum suum pertrahant. Unde nunc facilis est responsio ad primum argumentum supra in §. XXIV. relatum. Ita enim inferebatur: Ubicunque potestas Imperatoris universalis non restricta deprehenditur per leges, consuetudines vel privilegia Statuum, ibi adhuc in omnibus casibus eam exercere est permillum: Atqui in causis matrimonialibus talis restrictio non deprehenditur, Ergo. Limitamus enim majorem propositionem hæc modo, quod scilicet interdum restrictio potestatis Imperatoricæ præter leges, consuetudines & privilegia Statuum etiam ex indole atque diversitate Religionis profluere queat, quale quid in nostro casu liquido deprehenditur, cum Imperator, quamdiu Religionem Pontificiam profitetur, & simul Papam vicarium Christi esse, eique Jurisdictionem Ecclesiasticam competere credit, & denique matrimonium ex principiis dictæ Religionis in sacramentorum numerum refert, non possit non salvâ suâ Religione jurisdictionem quoad sacramentum Ecclesiæ sibi arrogare.

§. XXIX. Ad secundam rationem in eod. §. XXIV. regerimus, à temporibus antiquis ad moderna firmam non procedere consequentiam. Optimum fuisset, si per conniventiam suam Imperatores Præsuli Romano nunquam talem potestatem in rebus Ecclesiasticis atque spiritualibus concessissent, quali nunc quidem gaudet; sed hodiè, postquam res in

D

talem

talem corruptum atque depravatum statum devenit, vel recedere debent Imperatores à placitis Romanæ Ecclesiæ, ad minimum quoad quæstionem, an matrimonium inter sacramenta sit referendum? vel quamdiu hoc non fecerunt, distinctio utriusque jurisdictionis in limitibus hætenus apud Pontificios receptis relinquenda erit. Et hæc pertinet votum Schwederi *d. §. 32.* utinam Germania nostra, nimium, quantum adhuc Pontificem colens, tandem felici Protestantium exemplo edocta vim summæ potestatis, quæ circa sacra hætenus sopita ferè jacuit, excitaret, exemplo Reip. Venetorum, quæ jus suum circa sacra contra insultus Pauli V. tam egregiè defendit, ut etiam ipsos Pontificios facti sui præcones invenerit. Optanda hæc sunt, vix autem speranda, quamvis nos providentiæ divinæ nullos limites ponere velimus, cui nihil est impossibile.

§. XXIX. Quod addebatur in §. XXV. ac si post suspensam in Pace Religiosa Jurisdictionem Ecclesiasticam eadem postliminò quasi ad Imperatorem redierit & res in eum statum, in quo ante Pontificis & Ordinis Ecclesiastici arrogantiam fuit, iterum devenerit; illud sanè gratis dictum esse existimamus. Verum est, suspensam esse Jurisdictionem ecclesiasticam per Pacem Religiosam & Instrumentum pacis, sed cujus intuitu? Si tota rerum series consideratur, suspensionem nemo unquam desideravit, quàm illi, qui abjectò jugò Pontificiò doctrinam puriorem profitebantur; ergò etiam nemo alius eam suspensionem pro se allegare potest. Concedimus quidem libenter, Pontificem omne jus circa sacra, quod Imperatoribus extorsit, pessimâ fide possidere, nec ullò titulò præscriptionis, multò minus jure suo se tueri rectè posse; Verùm, quid illa ad rem præsentem faciunt? Possèt Cæsarea Majestas ea urgere contra Papam, quippe cujus interest, recuperare, pristina jura contra bonam fidem ablata. At nobis Protestantibus, si Imperatoris jura vindicamus, Papa exceptionem juris tertii opponet.

§. XXX.

§. XXX. Corruunt eò ipsò simul reliqua, quæ in §. XXXI. adducebantur, quoniam ibi erroneè supponitur, ac si jurisdictio ecclesiastica intuitu Statuum A. C. additorum ad Imperatorem jamdum redierit, cujus contrarium hactenus fusè demonstravimus. Solum ergò restat argumentum ex *Ordinatione Judicii Aulici tit. 2. in pr.* defuntum, quod omnium maxime stringere videtur. Sed & hîc facilis est responsio. Quando enim Judicio Aulico de rebus spiritualibus quoque cognitio tribuitur, tunc hoc non de ipsâ earum essentia, ut ita loquar, est intelligendum, sed de iis solùm casibus, si de possessione aut quasi illarum, aut de facto saltem controvertitur, v. g. si quis spoliatus sit beneficio ecclesiastico, vel turbatus in jure patronatûs, &c. judicium enim, possessorium neque quantitatem neque qualitatem rei spiritualis concernit, & quæstio facti est merè profana, unde in hisce casibus tam in prima, quam secunda instantia Judicium Aulicum judicat, v. Schweder *introd. in jus publ. part. spec. sect. 1. cap. 12. §. 8.* aliàs verò in causis spiritualibus & ecclesiasticis, si de religione & doctrina fidei, de decimis, &c. agatur, jurisdictionem non exercet, Knipschild *de Civit. Imper. lib. 2. cap. 33. num. 4.*

§. XXXI. Hisce ita discussis, non possumus non, quin necipsum Imperatorem per Judicium Aulicum in causis Principum Protestantium matrimonialibus judicare posse adseramus. Neque enim plus jurisdictionis Cæsari obrudi invito poterit, quàm ipse vi Religionis, quàm profitetur, Romanæ desiderat. Et hæc sententia quoque plurium DD. calculum sortita est, ex quibus juxta morem receptum nonnullos confirmationis gratiâ propter imbecilles fratres recensuisse haud inutile futurum arbitramur, Myler. ab *Ehrenbach de Princ. & Stat. Imp. cap. 20. num. 19.* Wurmser. *Exerc. 5. qv. 26.* Limnæus *de 7. P. lib. 4. cap. 8. num. 90.* qui tamen aliorum sententiam potius nudè recenset, quàm propriam mentem exponit. Blum. *in Proc. Camer. tit. 13. num. 15.* Burgoldenf. *in*

not. Imper. p. 2. Disc. 20. num. 13. in med. Linck *cit. Disput. Sect. 2. num. 21.* Gabr. Schweder *d. Sect. 2. Cap. 17. §. 33.* Boec. *de Jurisdic. c. 3. n. 80.* Bardili *alleg. Disput. thes. 12.* Reinking *de reg. secul. & Eccles. l. 3. class. 1. Cap. 10. n. 32. seq.*

§. XXXII. Cum igitur ad ipsum Imperatorem non pertineat cognitio, quis quærere vellet, utrum Imperator eandem aliis delegare possit? Nihilominus tamen hic iterum contrarium amplectitur Textor *cit. Disput. 1. ad. Rec. Imp. nov. th. 77.* Postquã scilicet paulò ante in *th. 74. & 75.* & ipsi Imperatori potestatem judicandi adscribere voluerat. Ita autem ille: *Sed an Cæsar, inquit, poterit hanc causam committere? Non dubitandum videtur, modò Evangelicis committat, aliàs contra personas Commissariorum ex generali presumptione suspicionis, maxime verò propter interesse Religionis Pontifici non submittende, poterunt excipere legitimes Evangelici.* Et hoc casu Commissarii non sunt *Aufstreg*, id quod accidit, quoties causa respectu sue qualitatis, prima Instantie Judicibus repugnante, Cæsar ex universali jurisdictione nulla lege prohibita Commissarios ordinat, quia tunc id facit libere *contra* violationes *Aufstreg* arum pecuniarias causas concernentium. Addit nonnulla exempla in hanc rem facientia Mylerus *alleg. cap. 20. num. 20.* item Schweder, *loc. cit. §. 34.* qui adducit verba, de Protestation-Schreibens an die Schwerinische Ministros in causa Principis Mecklenburgicæ, Christianæ Margarethæ, contra Maritum, Ducem Christianum, (qui abjuratò Lutheranismi in Gallia Ducissam de Chastillon superinduxerat) ex quibus apparere dicit, à S. Cæsarea Majestate tunc temporis Commissionem decretam esse, *verb. Die in Gott ruhende Röm. Kays. Majest. gloriwürdigsten Angedenkens nicht allein in causa principali/sondern auch absonderlich in puncto sevitæ, dero Kaysert. allergnädigste Commission ergehen lassen/welcher Commission hochgedachte unsers Herrn Gemahls Liebden sich/wie billig/submittiret/darin würcklich eingelassen/deren extension auff unterschiedliche Chur- und Fürsten des Reichs selbstes gesucht und erhalten/welche dann*
anno ch

anno^h nicht geendiget/sondern von der jetztregierenden Kön-
 Königin. Majest. continuiret / sub dato den 24. Septembr. ab-
 gewichenen Jahrs renoviret / und an die Herren Commissa-
 rien ausgefertiget worden / &c.

§. XXXIII. Equidem quantum ad rationem à Textore adductam attinet, mirum non est, quod ille hanc sententiam arripuerit, cum juxta ipsius hypothesein ipse Imperator in causis Principum Protestantium matrimonialibus iudex competens esse possit, quidni ergò easdem alteri delegare, concederetur? Verumenimverò postquam nos in præcedentibus, sat liquidò, ut speramus, ostendimus, eam sententiam nullâ ratione niti, nunc quoque exinde facile inferre, porrò poterimus, prætenso eos Commissarios vices Judicum in iisdem causis neutiquam gerere posse. Non sequitur: Commissarij illi non sunt Austregæ, Ergò possunt in dictis causis judicare, nam aliàs longè plures hóc munere fungi possent, qui pariter non sunt Austregæ. Universalitatem jurisdictionis Cæsareæ per ipsam Religionis Pontificiæ indolem restrictam esse, pariter jam ante adstruximus, unde ad eam denudò provocari nequit. Ego mihi Judicem delegatum & delegantem non aliter concipere possùm, quàm per modum, relati & correlati, quæ se mutuo quidem ponunt, sed mutuo etiam tollunt. Cum autem relatum in S. Cæsarea Majestate non adfit, unde, quæso, correlatum in ipsius Commissariis hâc parte constituendis proveniet? Judicem delegatum sine delegante ligneum ferrum esse existimo.

§. XXXIV. Deinde, quod attinet ad, exempla à Mylero & Schwedero adducta, in ea quidem aliquanto accuratius inquirendum esset, cum & hîc minima circumstantia rem variare possit; sed positò, non concessò, omnia illa congruere cum statu controversiæ, quem in præsentibus supponimus, notum tamen simul est axioma illud: Exempla non probare rem, sed illustrare saltem, & ex paucis aliquibus exemplis nondum observantiam aliquam inferri posse. In specie tamen hoc addo, quod

mihī exemplum de Principe Megapolitana ex Diario Europæo adductum non omnino ad rem quadrare videatur. Iplūm quidem Diarium mihī evolvere non licuit; suspicionem tamen movent, quæ ipse Schwederus paulò ante *loc. cit.* §. 27. de Eadem adducit, scilicet Eam Judicio Ecclesiastico (per quod sine dubio Consistorium Augusti, Ducis Saxonici, intelligit, coram quo Dux Christianus Conjugem suam convenire tentabat, *vid. loc. cit.* §. 36.) exceptionem fori declinatoriam, opposuisse, teste *Diar. Europ. p. 548.* in verbis: Und umb so viel mehr / weisen man noch zur Zeit in solchen terminis nicht versiret / darüber ein geistliches Gericht cognosciren könte / massen unsere Strittigkeit das Vinculum matrimoniale an sich selbstē nicht / sondern nur zeitliche Güther / sævitiā maritalem, Beschüzung wieder Gewalt und Verschaffung der Alimēnten betrifft. Unde quoad eadem puncta saltem Commisio Cæsarea delegata fuissē videtur.

§. XXXV. Hæc occasione ergò simul observamus ex doctrina ejusdem Schwederi *loc. cit.* §. 27. quod tunc, si saltem de accidentalibus aut consequentibus matrimonii, veluti de dote, de donatione propter nuptias, de sævitiā mariti, de alimentis, &c. lis sit, vel si judicio ad possessionem matrimonii conjuge thoro expulsa interruptam redintegrandam agitur &c. ad judicem secularem & ordinarium, qui inter personas illustres immediatè imperio subiectas Aufstregæ, (& deinde Camera) cognitio pertineat. Quò pertinet etiam quæstio: an matrimonium sit contractum? Covarruv. *de matrimon. part. 2. cap. 8. §. 12. num. 10.* Farinac. *in pract. crim. lib. 1. tit. quest. §. num. 150.* item si agatur de legitimatione, sequestratione sponsæ duorum, &c. Joh. Bapt. Afinius *in prax. judic. part. 2. §. 1. cap. 151.* Matth. de Afflict. *Decis. 219. num. 5.* aut de nullitate sententiæ ab Ecclesiastico latæ, Mynsing. *conf. 6. num. 15.* & quos plures citat Mevius *ad jus Lubec. lib. 1. tit. 4. num. 31. 32. seqq.* Atque ita Comitissam quandam, Catholicæ Religionis, imperio immediatè subiectum maritum suum ejusdem Religionis de sævitiā incu-

incusasse & ab Imperatore Commissionem, quâ ipsi de alimentis prospectum, dum separatas à marito rationes habere voluerit, impetrasse testatur Dn. Jac. Bernhard. Multz. in *Represent. Majest. Imper. Part. 2. cap. 33. §. 2. num. 105.*

§. XXXVI. Apparet ex hæcenus deductis, causas Principum Protestantium matrimoniales neque coram Austregis, neque coram Camera Imperiali, neque coram Judicio Aulico, neque etiam, quod ultimum erat, coram Commissariis ab Imperatore delegatis, tanquam in foro competente ventilari. Quid ergo nunc juris erit? Ubinam invenient tandem Principes nostri Judicem, qui causas hæc gravissimas sententiâ suâ dirimat? Nondum verò nostram possumus aperire mentem, nisi prius aliorum consilia breviter recensuerimus. Equidem Theodorus Reinkingk, Hasfæ superioris quondam Pro-Cancellarius, parùm solatii nobis hæc suppeditat, postquam enim in *tr. de Regim. secul. & Eccles. lib. 3. Class. 1. cap. 1. a num. 31. usque ad num. 50.* varias opiniones DD. recensuerat, quas hæcenus nos similiter excusimus, tandem Lectorem suum ita alloquitur: Tu vero Lector ex his opinionibus:

Elige, cui dicas, tu mihi sola places;

& ita filium abruptit. Nobis verò quia nulla placet, ulterius progrediendum erit, quod etiam alii jam fecerunt ex Doctoribus, quorum sententiæ ante omnia nunc recensendæ erunt. Quod enim Vultejus *ad l. 1. num. 49. inf. C. Ubi Senat. vel Clariss. Cæsareæ Majestatis & Statuum Imperii* decisionem super hac re expectat, & alii cum ipso, id nimis longè petitum est nec tam facilè sperandum, v. Justus Sinold Schütz in *Colleg. jur. publ. Vol. 2. Disp. 3. th. 13. lit. c. in f. Kizel de matrim. c. 10. theor. 9.* Notat enim Bardili in *Disp. de Divort. ex caus. desert. th. 20.* hanc quæstionem in publicis Imperii Comitibus multoties jam fuisse propositam, urgentibus maximè Principibus Imperii Augustanæ Confessioni addictis, ejusdemque decisionem instanter sollicitantibus, hucusque tamen eam indecisam mansisse. Et vix est, addit, ut hæc ipsa quæstio

in hodiernis Imperii Comitibus proximè finem acceptura fit.

§. XXXVII. Svadent autem primò nonnulli, è re Principum Evangelicorum fore hoc casu, si peculiare aliquod Consistorium unanimi consensu constitueretur, Præside & Assessori- bus ex sanctiore, præ aliis vitæ integritate & sincero Religio- nis candore fulgentium, omnique suspitionis, sordium ac hæreseos labe carentium, Theologorum & Jctorum nume- ro electis, statoque tempore in certo loco comparituris & ju- dicium secundum praxin nostrarum ecclesiarum exercituris, quod Consistorium circa executionis peragenda modum au- toritate suâ Status ita munire deberent, ut Victores quoque in casum contumaciæ de executione sententiæ contra re- fractarios securi esse possent, quod est consilium Linckii in *Disp. de Immed. Imper. Prot. for. in caus. matrim., sect. 2. n. 28.* repeti- tum à Schwedero in *Disp. de foro Illustr. §. 43.* & in *Introd. in jus public. loc. cit. §. 37.*

§. XXXIIX. Modum instituendi & sustentandi hoc Consistorium aliquantò propius delineare voluit larvatus Heydenus Borromæus Riccruntus in *not. & animadvers. ad Gvil. Ignat. Schützi manual. pacif. in fin. rubr. de Jurisd. Eccles. p. m. 188. seqq.* cujus cogitata ad suppleendam historiam præsentis con- troversia hæc inferuisse non inutile erit. Ad superandam, inquit, difficultatem collationis magnorum & novorum sumtuum, tali Consistorio supremo impendendorum, ex- pediri videretur, si Consiliariis Judicii Aulici Imperialis & Assessoriibus Camera Spirensis Protestantibus & Reforma- tis solis, exclusis Catholicis, cognitio & decisio ejusmodi causarum, stilò in aliis causis utriusque istius summi Tribu- nalis usitatò committeretur, aut, si propter multitudinem negotiorum ordinariorum Consiliarii & Assessores præsen- tes haud sufficerent, iis pauci aliquot novi & extraordina- rii, matrimonialibus præsertim causis expediendis depu- tandi, adjungerentur, qui simplices quotidie occurrentes querelas inter conjuges illustres de simplici & plano, vel a- mica-

micaliter componerent, vel per Processum summarissimum aut summarium celeriter terminarent, in rebus verò, majoris momenti, v. g. Divortiorum, cum ceteris Collegiis, ejusdem Religionis conferrent, & consiliò maturò vel unanimitè, vel per majora eas deciderent, atque ut executioni, decentibus mediis mandarentur curarent, quem in finem, allegat locum B. Brunnemanni *de jur. Eccles. lib. 5. cap. 1. §. 5.* ubi statuitur, quod quamvis communiter Theologi in Consistoriis Ecclesiasticis adhiberi soleant, non tamen existimandum sit, ac si hoc necessitas simpliciter exigat, cum cognitio à solis etiam Politicis fieri possit. Hoc temperamento adhibito, concludit, concedi posset assertio Mevii *P. 2. Decis. 365.* statuentis, suspensâ Jurisdictione Ecclesiasticâ inter Status Evangelicæ Religionis in controversiis matrimonialibus Judicem esse, qui alias de ipsorum causis cognoscit, ita, ut vel ad Austregas, vel ubi illi cessant, aut locum vimque habere nequeunt, ad Cæsarem in Aula vel Camera iri possit.

§. XXXIX. Quid nos ad istud consilium? Optimum esse putamus, si abstractivè consideratur; moraliter tamen impossibile, si quis illud in effectum deducere niteretur. Quis enim rerum politicarum & negotiorum humanorum vel leviter gnarus non mox videt, tot esse ineluctabiles difficultates, quot ferè in eo consilio verba deprehenduntur, prout loquitur Illustr. Dn. Stryk *de for. Princ. & subd. commun. Cap. I. num. 101.* Ubi scilicet est sanctior ille Theologorum numerus? ubi deprehenduntur ii, qui hæreseos & sordium labe carent? ubinam illi, qui sincero Religionis candore fulgent? Controversiæ sanè hodiernæ satis superque monstrant, pro hæretico haberi eum, qui se orthodoxiam in scrinio pectoris gestare censet: & in impiorum ac seductorum classè referri, qui se præ aliis pietatem & sanctitatem maximè sectari pervasus est. Non quidem nego, dari certa criteria, ex quibus omnia illa dubia facillimè tolli & verè pii ab hypocritis, orthodoxi ab hæreticis, & demum sincero Religionis candore

E

ful-

fulgentes ab hæreticibus dignosci possint; sed illud saltem dico, controversias de iisdem criteriis ita esse intricatas & desperatas, ut universalis consensus ad universale illud Consistorium nullò unquam tempore facillè sit sperandus.

§. XL. Taceo difficultates, quæ ex causis innumeris aliis sese circa hoc universale Consistorium exserunt. Quisnam enim erit locus, in quo illud commodè constitui possit, ita ut in medio Provinciarum Protestantium deprehendatur? Unde desumi poterunt Salaria Assessorum, quæ vix Assessoribus Camera Imperialis solvuntur, cum tamen Camera à toto Imperio dependeat? Et quâ viâ demum executio contra contumaces in effectum dari poterit? Integrum seculum requiri putamus, antequam omnes hæ & ejusdem generis difficultates superentur. Imò licet superari possent, nunquam tamen durabilem harmoniam orituram esse censemus, unde facillè iterum collabesceret opus tantò labore adornatum. Et quid multis? ipsi hujus Consistorii universalis Autores de ejusdem successu statim eò tempore, ubi consilia hæc in lucem prodierunt, desperare inceperunt. Quia & hic modus, inquit *Græc. cit. Disp. num. 28.* omnium omnino Augustanæ Confessioni addictorum Statuum consensum requirit, atque ob alias nonnullas rationes altioris adhuc esse videtur indaginis; idcirco eundem doctiorum exactiori scrutinio expendendum relinquimus. Eadem ipsa verba reperies apud Schwederum *loc. cit. §. 37. in fin.*

§. XLI. Quid autem faciemus cum Heydeno Borromeo Riccrunto? Tantum abest, ut hîc rem acu tetigerit, ut potius ipsius consilia adhuc majorem labyrinthum, quam priora, involvant. Superari posse difficultatem, de qua in §§. *præc.* locuti sumus, existimat, si Assessoribus Camera Imperialis & Judici Aulici Protestantibus cognitio & decisio causarum matrimonialium committatur. Sed à quonam hoc dictis Assessoribus erit committendum? an ab uno, an ab omnibus Statibus Evangelicis? sine dubio ab omnibus. At
verò

ved Eorum unanimis consensus ante omnia desideratur. Puto & hic diversos in diversas abituros esse sententias. Laudabitur forsan consilium Riccruntanum ab uno, culpabitur ab altero, & n̄ fallor à pluribus. Sed ponamus, ejusmodi unanimum consensum ab omnibus Statibus sperandum esse, quid inde utilitatis capient causæ matrimoniales? Numerus Assessorum Camerae Imperialis admodum est incompletus, prout schemata, quæ typis publicari solent, manifestum reddunt. Et quid si completus esset? Tanta est moles causarum, quæ partim indecisæ ab aliquot seculis jacent, partim quotidie adhuc in majorē quantitatem excrescunt, ut sat laboris habeant Assessorum, si easdē causas merè civiles ad finem perducere velint. Annon Riccrunto innotuit vulgatum illud ex hoc fonte originem ducens:

Spiræ lites spirant, sed non expirant?

Quod numerum Consiliariorum Protestantium in judicio Aulico attinet, ille, ut cuius notum, admodum est exiguus, ita ut decidendis causis matrimonialibus soli vacare nullō modo possint.

§. XLII. At & huic defectui facilè medelam afferri posse putat. Adjungantur, inquit, pauci aliquot novi & extraordinarii Assesores prioribus, qui propter multitudinem negotiorum ordinariorum huic negotio matrimoniali non sufficiunt. Sed hic primum statim dubium nascitur, utrum Status Protestantes (positò iterum, eos esse unanimes) sine ulla reliquorum Statuum contradictione paucos illos novos & extraordinarios Assesores constituere possint, quod nobis persvaderi non valemus, si quando, quænam olim de constitutione Assessorum ordinariorum litigia fuerint, paulò attentius consideramus. Sed largiamur etiam, posse hæc omnia facilè expediri, tunc sanè Riccruntus parum novi attulit, per quod difficultas collationis magnorum & novorum sumtuuum Consistorio supremo aliàs impendendorum superari

rari queat, quod tamen per consilium suum intendebat. Et ubinam sedem suam habebunt illi extraordinarii Assesores? Sine dubio ex parte Wetzlaræ, ex parte autem Viennæ, nam de utriusque Tribunalis Assessoribus ordinariis & Consiliariis ante locutus erat. Quale, quæso! erit illud irregulare iudicium, & quomodo ibi consultationes erunt instituendæ? qualis processus summarissimus, aut summarius exinde sperari poterit? Et his consideratis non possumus non omnia illa consilia tanquam vana & moraliter impossibilia rejicere.

§. XLIII. Prodeant nunc alia in scenam. Suadendum potius esset, inquit Bardili *in sepe cit. disp. thes. 21.* piis Principibus, ut hanc calamitatem & conjugii infelicitatem (loquitur autem de eo saltem casu, si alter ex Conjugibus alterum malitiose deseruit,) patienti animò ferant, ab ulteriori conjugio sese abstineant, causamque adeò totam iustissimo divino iudicio submittant, qui in ejusmodi conjugem refractariam, & matrimonialis vinculi, quod Deus sanctissime aliàs custodiri voluit, violatricem gravissimè sine dubio pœna animadversurus est. Jam quidem hoc monitum est non contemnendum, sed tale tamen, quod quæstionem præsentem non conficit. Svasiones enim à paribus, imò ab inferioribus fieri possunt; nos autem Judicem quærimus, qui sententiã suã invitis etiam partibus Controversias matrimoniales dirimere possit. Nec etiam tales svasiones ubique locum inveniunt, cum donum continentia omnibus Principibus non sit concessum, sed rarius tam inter ipsos, quàm inter privatos quoque deprehendatur. Et cur pius Princeps obligatus esset, ut in gratiam malitiosæ deserticis ab ulterioribus votis abstineret?

§. XLIV. Reinkingius in nova editione tractatûs sui *de regim. eccles. & secul. d. lib. 3. class. 1. Cap. 10. num. 52. & 53.* novum casum, quamvis aliquantulum obscure proponit, si causa vertetur inter diversæ Religionis, Evangelicæ & Pontificiæ, conjuges, quod tunc propter continentiam causæ iudicium Ecclesia-

fasticum, Pontificium scilicet, sit forum competens, (ita enim eum intelligo) quem in finem non solum generalia quadam de continentia causæ allegat, sed & in causa *Ysenburg* contra *Würzburg* & *Ysenburg* ita observatum esse testatur. Sed nec hoc casu causas matrimoniales Principum Protestantium ad iudicium Ecclesiasticum Pontificium pertrahi posse arbitramur. Est quidem maximus favor continentiae causarum, v. *Illustr. Dn. Stryk, de for. Princ. & subdit. commun. Cap. 3. per tot.* sed requiritur tamen, ut is, coram quo causæ connexæ tractantur, reverà judicandi potestate gaudeat. Sed verò Episcoporum Pontificiorum jurisdictionem ecclesiasticam, intuitu Protestantium penitus suspensam esse per Instrumentum Pacis & Pacem Religiosam jamdum aliquoties monuimus. Ergò non aliter, quam privati considerari hinc poterunt illi Episcopi. Et ipse quoque Reinkingius Comitem, qui tunc consors litis erat, coram Metropolitano iudicio Archiepiscopi Moguntini non comparuisse, sed sententiam in contumaciam latam esse dicit, quàm bene, facillè judicari poterit.

§. XLV. Ordo nunc efflagitat, ut nostram quoque mentem de competenti in causis matrimonialibus foro Principum Protestantium aperiamus. Equidem, si tandem aliquando Consistorium aliquod universale erigeretur, si scilicet possibile esset, ut omnes difficultates supra allegatas superaremus, nemo meliori jure ejus directorium prætere posse, quàm Serenissimus atque Potentissimus Borussiae Rex, Dominus noster longè clementissimus, cum Archiepiscopatum Magdeburgensem Ducis titulo possideat, huic autem jus Primatus Germaniæ cohaerit, atque per *Instrum. Pac. Westphal. Art. XI. §. 6.* omnia pristina jura Serenissimæ Domui Brandenburgicæ concessa fuerint, in verbis: *totus iste Archiepiscopatus cum omnibus territoriis, Regalibus & juribus, &c.* unde quoque Dux Megapolitanus, Christianus, cujus supra mentionem injecimus, conjugem suam propter desertionem in Consistorio Augusti, Ducis Saxonici atque Archiepiscopa-

seopatus Administratoris, conveniebat, *Diar. Europ. P. 11. pag. 547.* Verūmenimverò quamdiu Consistorium illud supremum & universale adhuc in suspenso est & per aliquod tempus, ni fallor, in suspenso manebit, de aliis interim foris & decidendi remediis dispiciendum erit. Et hoc Deò volente, ita præstabimus, ut causas matrimoniales ex ipsa superioritatis territorialis natura inter Protestantes facile terminari posse, nec aliò quoddam judiciò opus, aut Principes nostros commiseratione propter ejus defectum dignos esse demonstramus, quamvis hoc ultimum putet Schütz in *Manual. Pacif. in f. rubr. de Jurisd. eccles. p. m. 174.* verbis: *So weiß ich denen hiebey etzwan leyenden hohen Stands, Personen Augspurgischer Confession, so disfalls keiner andern Jurisdiction unterworfen wollen/ nicht zu helfen/ (nec etiam ipsius adjutorio opus est) sondern muß vielmehr mit denselben ein Christliches Mitleyden haben / & nos dolemus, quod Schützius sine causa tales querelas moveat, cur non & reliquos, Catholicos quoque Reges & Principes, in classem ejusmodi infelicium personarum refert, quia hi in causis civilibus neutrius Jurisdictionem agnoscere volunt.*

§. XLVI. Rem itaque ex natura superioritatis territorialis deducendam esse diximus. Ubi ante omnia ex §. XVI. & XVII. repetendum erit, Superioritatem illam esse ens Majestaticum, vi cujus Principes Imperii omnia possunt, quæ aliis Regibus & Principibus competunt, *nisi forsitan ex Legibus publicis restrictio doceri queat.* At verò quamvis hætenus operose illam restrictionem quæsierimus, nullam tamen invenire potuimus. Nihil ergò aliud dicendum restat, quàm quod aliàs dicitur: Exceptionem firmare regulam in casibus non exceptis, id est, in causis matrimonialibus, quia non sunt exceptæ in Legibus Imperii, Principes nostros eadem potestate pollere, quæ gaudent omnes Reges & Principes Jurisdictionem Papalem non agnoscentes. Admodum nos delectant verba Illustris Cocceji in *prudent. jur. publ. Cap. 32. §. 8.* qui de

de causis matrimonialibus Principum Imperii protestantium sequens iudicium profert: Quem ergò, inquit, Status in his causis iudicem habent? Resp. Evangelici nullum; reliqui ecclesiasticum. Illi itaque, pergit, in his causis potestatem absolute summam habent, cum ecclesiastica, quæ sola superior, fuit, tota cum omnibus suis speciebus suspensa atque sublata, fuerit per *Pac. Osnabr. Art. 5. §. Jus Diocesanicum. 48.* Unde, concludit, alia ratio non est, quam ceterorum Regum &c. scilicet, ut se ultrò submittant Consistoriis suis vel commissio Mev. p. 2. *Dec. 365. per tot.* Brevibus hæc verbis plurima continentur, quæ nobis dicenda restant.

§. XLVII. Quemadmodum autem in omnibus rebus ordo sive bona methodus utramque facit paginam: ita quoque ante omnia solliciti esse debemus, ut ea, quæ adhuc dicenda supersunt, iusto ordine proponamus. Certò enim persvasi sumus, DD. & ob hanc causam nihil certi de præsentia materia tradidisse, quod generaliter saltem eandem consideraverint. Ista autem methodò incedemus, ut (1) videamus, quid iuris sit, si Princeps ex subditis suis feminam in uxorem ducat & (2) quid observandum, si thori sociam talem eligat, quæ pariter, ut ipse, in immediatorum classe deprehenditur. Deinde etiam hoc non erit negligendum, quid liceat & quid *conducat*, sive ut clarius loquamur, quid secundum principia iuris facere possit Princeps, & quid juxta prudentiæ axiomata requiratur, ut bonam de se opinionem non solum penes subditos, sed penes externos quoque conservet.

§. XLIX. *Primum* ergò casum quod attinet, non infrequens est, ut principes ex subditis suis thori sociam eligant, quæ tamen nihilominus characterem subditæ retinet, Exc. Dn. Thomasius in *Jurispr. divin. lib. 3. c. 2. §. 232.* Queritur nunc, quis iudex competens futurus sit, si inter hosce conjuges controversia matrimonialis oriatur? Equidem Dionys. Gothofred. *ad l. un. C. Ne quis in sua caus. jud.* existimat, quod in Germania Princeps Imperii subditum suum in Camera

con-

convenire debeat; sed ut taceamus, quæ hîc in genere mone-
ri possent, suprà jam ostensum est, Cameram in causis matri-
monialibus nullâ juris dicendi potestate gaudere, atque adeò
ad eam in præsentî etiam casu recursus non patebit. Quoni-
am ergò hîc nulla iterum ex Legibus Imperii restrictio doceri
potest, suppositis iis, quæ à DD. moralibus fusè inculcari so-
lent, Principem Legibus esse solutum eundemque nullum in
his terris Judicem agnoscere, conf. Hugo Grotius *de Jur. bel-
li & pacis lib. 1. Cap. 3. §. 6. seqq.* sine dubio verum erit, quod qui
non habet superiorem, à quo regatur, sua negotia propriò ar-
bitriò administret, & de mediis ad sui conservationem spe-
ctantibus propriò ex judicio constituat, Pufendorff. *de Jur.
nat. & Gent. lib. 5. c. 13. §. 2.* quò sensu etiam Hobbesius *de Cive c.
1. §. 9.* in statu naturali, in quo vivunt Principes, quemlibet
negotiorum suorum judicem constituit. Et admittunt DD.
communiter, regulam vulgatam, quod nemo in propria cau-
sa Judex esse queat, ad Principem haud esse applicandam, cum
ille sibi ipsi jus reddere omninò possit, Gothofred. *loc. cit.*
Klock *Vol. 1. Consil. 52. num. 135.* Barbosa *ad l. un. C. ne quis in sua
caus. jud. num. 4.* Schrader *de feud. P. 10. Sect. 2. n. 64.* Hilliger,
ad Donell. lib. 17. c. 2. lit. B. B. Brunnemann, *ad l. 4. C. de LL. &
ad d. l. un. C. Ne quis in sua caus. jud.* Exceptio enim suspecti
Judicis, quæ inter privatos aliàs opponitur, Principi opponi
nequit, cum subditus de principe malam suspicionem fovere
neutrquam debeat.

§. XLIX. Nec est, ut cum Bardili *sepè cit. Disput. thes. 21.
num. 1.* hanc nostram sententiam rigidam existimes, vi cujus
viâ facti & privatâ autoritate matrimonium dirimere con-
cessum sit; Sufficit enim, quod ipse quoque fateri necesse ha-
beat, fas esse, ut quis in re propria sibi jus dicat, ubi Judicis
copia haberi nequit, juxta DD. *ad cit. l. un. C. Ne quis in sua
caus. jud.* Et an forsân putat, Principi eo ipso concedi, ut con-
tra Leges naturales & positivas divinas e.g. subditam per vim
metumque ad ineundum matrimonium cogere, vel eandem
postea

postea iterum sine justa divortii causa dimittere possit? Ne-
 tiqua vero. Nam & Princeps, quando in propria causa judicat,
 ad Leges superioris, Dei scilicet, est adstrictus. Ast, dicit,
 Princeps hac ratione interdum plus potestatis sibi sumit,
 quam ipsi est concessum; Respondeo, hoc fieri per accidens
 & propter abusum alicujus rei ipsam rem non esse tollendam.
 Nam & Consilarii Principis interdum contra jus procedere
 possunt, sed nihilominus tamen iisdem causam controversam
 committi posse existimat ipse, quem allegavimus, Bardili. Ele-
 ganter Miltz in *Repraesent. Majest. Imperat. in prolegom. Cap. 2. §.*
15. n. 74. & 75. Ut ceteris, inquit, æquitate & justitiâ præpollet
 Princeps; ita Majestas ipsi non in abusum collata, ut à justitiæ
 tramite decedere possit, sed ut ob exactam Legum observan-
 tiam tantò dignitatis & potentie præmiò coronaretur, cu-
 jus mentione statim commune fieret, quid suarum sit partium.
 Nimirum Princeps Legibus custodiendis, non infringendis
 præfectus est, secundum quas cives jura sibi reddi expectant,
 & secundum easdem ipsis jus se administraturum Princeps
 spondisse censetur.

§. L. Pergo ad *secundum* casum in §. XLVII. indigitatum,
 si Princeps talem thori sociam eligit, quæ pariter, ut ipse, in
 immediatorum classe deprehenditur. Quæritur, quis hoc
 casu pro Judice competente habendus? Ad hanc quæstionem
 non possumus prius respondere, nisi in genere præmiserimus,
 in quonam potestas maritalis sive Imperium, ut vocare solent,
 consistat inter eos, qui superiorem in his terris (ad minimum
 quoad hoc causarum genus) non agnoscunt. Joh. Frid. Hor-
 nius in *polit. parte architecton. de Civitate lib. 1. c. 1. §. 5. & 6.* hac
 de re ita scribit: Supponendum scilicet primò esse dicit, omne
 imperium, quatenus in subiecto proprio est, nec precariò ha-
 betur ab aliquo homine, aut à Superiore non est circumscrip-
 tum, importare jus vitæ & necis. Exinde nunc porrò in-
 fert, mariti imperium hac potestate esse armatum, adeoque
 fundamentum omnis castigationis, quæ propriò mariti jure
 infli-

infigitur Conjugi, ac omnis maritalis Imperii fummam in potestate vitæ & necis reponi debere. Per hoc tamen jus vitæ & necis, addit, non intelligendam esse licentiam aliquam excusantem crudelitatem parricidii, sed *legitimam facultatem capitalia scelera condignè puniendi*.

§. LI. Hæc ergò Hornii philosophiâ admisâ, ad propositam quæstionem respondendum foret, Principem Imperii ipsum in causis matrimonialibus, quæ ipsi cum Conjuge intercedunt, itidem Judicem esse posse. Quod ipsum non obscure porro innuit idem, dum dicit, Virum causam poenalem exercendi potestatem habere, modò id citra iram & odium fiat, & modò maritus, ut omnis Judex, vehementiâ ejusmodi affectuum vacet. Nec concessâ hæc facultate, pergit, protinus de qualibet leviuscula causa interficiendam putabit conjugem. Gravissima sit causa, quæ vim uxori inferat, quam optimus quisque Legislator in Republica mortis supplicio cöcercet, qualis homicidii, adulterii & similis. Hæc ventiletur decenti ordine, præviò judicio, sine omni turbulento affectu. Quò sine præsci assumisistè *Propinquos*, quasi Assessores leguntur. Apud Tacitum locus est *Annal. l. 3. 32.* Pomponia Græcina, superstitionis externæ rea, mariti Judicio permisâ, isque præsci institutò propinquis coram de capite famaue conjugis cognovit & infontem nunciat. Ejusmodi potestatem Romanis, Germanis, Gallis, aliisque populis in usu fuisse, etiam, quando habuerunt Magistratus, concurs historia tradit. Non aliter familiarum ratio sibi constare potuit.

§. LII. Nostri jam non est instituti, ut prolixè hanc Hornii sententiam examinemus. Faciemus illud alibi Deò ita concedente. Sufficere ergò poterit, si ea saltem adferamus, quæ contra Hornium eruditè disserit Pufendorff. *de J. N. & G. l. 6. cap. 1. §. 11. seqq.* Illud ante omnia rectè concedit, posse quidem uxorem se simul Imperio mariti despotico subicere, seque subditam constituere, cùm sese haud quicquam invicem destruant metus Imperii & amicitia conjugalis, non magis quàm

quàm imperium in Principe amorem civium per se extinguit; sed de eo non est quæstio. Hoc saltem investigamus, an citra expressum tale pactum subiectio uxoris ex natura societatis conjugalis profluat? Et hoc negatur, utut enim in negotiis matrimonio peculiaribus uxor ad voluntatem mariti sese componere tenetur; non statim tamen quoad alias quoque actiones Imperiū huic in illā necessariò competit. Non enim matrimonii, uti civitatum, finis est defensio & securitas hominum. Inde uti civitates sine Imperio nequeunt intelligi: ita matrimonium solò pactò & amicitia citra imperium contineri posse videtur. Finis certè matrimonio peculiaris sat commodè obtineri potest, etsi unus Conjugum in alterum non habeat imperium propriè dictum, & quod jus vitæ ac necis ac gravio- rem cõercitionem complectatur; sed amicitia duntaxat & pactum conjuges contineat. Exempla, quorum adhuc plura adducit Pufendorffius, nil probant. Nec enim videndum est, quid fiat, sed quid fieri debeat. Unde magis placent, quæ ex Aristotele adducit Hornius, Viri & uxoris societatem ad Optimatum Principatum proximè accedere. Pro dignitate enim Vir imperat, in illisque rebus imperat, in quibus virum oportet imperare, & quæ mulieri competunt, eidem permittit. Unde idem Aristoteles hoc imperium *politicum* vocat illudq; alteri *despotico* contradistingvit. Quid verò tandem fiet in ejusmodi causis matrimonialibus, si Maritus Judicis vices gerere nequit? Iterum utimur verbis Pufendorffii *loc. cit. §. 13.* Sane ad finem matrimonii tantò imperiò non est opus. Et si quis credat, quævis atrocita delicta in forum humanum trahi debere; quis in familia segrege patrem familiàs, quis in civitate Regem puniet? *Quod si intolerabilia perpetret uxor, poterit tanquam hostis familiã ejici & velut jure belli occidi, (justã scilicet causã suppositã.)* Positò ergò, Principem hîc quandoquæ adfectu abripi & sine justã causã uxorem ejicere; tunc peccabit equidem, sed in his terris, qui de ipso sententiam proferat, non habebit.

§. LIII. Non opus autem est, ut hæc operosè ad Principes nostros applicemur. Applicatio per se patet. Et huc recurrere putamus, quæ supra §. XLVI. ex Dn. Coccejo attulimus, statuente, Evangelicos nullum in causis matrimonialibus Judicem habere & eorum aliam non esse rationem, quàm ceterorum Regum. Quæ enim mox, subjicit, ut scilicet se Consistoriis submittant; ad cautelas saltem & regulas prudentiæ politicæ spectant, de quibus mox dicemus. Pertinent huc, quæ habet Multzius in *Repræsent. Majest. Imper. prolegom. Cap. 2. §. 21. num. 104.* In matrimonialibus, inquit, is qui Majestatem habet, eadem colit, quæ boni ordinis gratiâ privatis incumbunt, modo quamvis diverso: nam nec pœnam eo nomine formidat; sed scandalizare suo exemplo veretur. Et ubi ipse Princeps privatis dispensare potest, sibi quoque ipsi idem beneficium impertit, quod videtur exemptionem à Lege involvere. Similia habet *Par. 2. Cap. 33. §. 4. num. 138. 139.* ubi de juribus Principum Protestantium in specie loquitur. In matrimonialibus, inquit, dispensant suis quoad gradus prohibitos in tantum, in quantum lex naturæ (adde vel jus positivum universale) id permittit. Ipsi etiam Principes & immediatè imperio subiecti matrimonia contrahunt *absque dispensatione*, in quantum à jure naturali (& positivo universali) non prohibentur, & in hoc legibus communibus soluti esse intelliguntur. Non possunt ergo, nec debent illegitima pronunciari matrimonia Principum in gradibus jure municipalibus prohibitis contracta, cum ipsi sint illo jure positivo superiores, nec ob æqualium paucitatem facile conjugia genere & splendore suo digna invenire queant, Joh. Gerhard. in *loc. de Conjug. §. 346.* Bened. Carpzov. *Jurispr. Consistor. lib. 2. Tit. 7. Def. 110. num. 6.*

§. LIV. Hæc ita possunt Principes Evangelicæ Religionis additi, neque adeo de necessitate adstricti sunt, ut in causis matrimonialibus intuitu licentiæ conjugii, nullitatis ejusdem, divortii, & si quæ sunt alia capita controversa, consilia Consistoriorum suorum aut exterarum Facultatum, Theologorum

& Juridicarum, expetant, nedum ut propriis judiciis sese submittant. Possunt enim ipsi in controversiis quoque, an hic vel ille gradus de jure divino sit prohibitus nec ne, (v. quæ de hac re tradit Exc. Dn. Thomasius *Jurisprud. divin. lib. 3. c. 3. §. 148. seq.*) in sententiam veriore inquirere, eamque alteri præferre, atque sic vel contrahere matrimonium, vel ab eodem abstinere, ita, ut quamvis à Theologorum suorum hypothefi recedant, his tamen è suggestu, ut solent, contra ipsos declamare non sit permissum. Si se deceptum esse deprehendit Princeps, v. g. in virginitate, in persona, vel in alia qualitate substantiali, propria autoritate uxorem expellit, quod idem facere potest cessante metu, ubi vi majore ad matrimonium coactus erat, vel ubi uxorem adulterium commississe certò constabat.

§. LV. Possunt hæc ita, inquam. Non semper tamen juri stricto est inhærendum; sed præcipuè eò, quid conducatur, & quid cum regulis prudentiæ conveniat, respici oportet. Unde nunc tandem ad ultimum membrum, quod in §. XLVII. innuimus, transibimus. Illud quidem adhuc bonum monitum est, quod suggerit Bardili *cit. Diss. theol. 22.* scilicet primò omnium reconciliationem inter ejusmodi Conjuges (loquitur autem de causa desertionis) esse tentandam & desertricem monendam, ut ad Maritum desertum redeat, ac debita officia matrimonialia præstet; sed hoc iterum non est forum aliquod monstrare, in quo controversia matrimonialis decidi debet. Præterea hoc quoque erat addendum, ut Maritus etiam per similes svasiones ad recipiendam iterum uxorem inducatur, quid enim si Maritus eam recipere renuat? Sed hæc, si nos distinctè explicare volumus, iterum distinctè erit procedendum.

§. LVI. Primò casu (v. §. XLIX.) aut ipse Princeps de injuria sibi illata adversus conjugem subditam conqueritur, & sic actoris Vices sustinet: aut ipse Reus est & Uxor eum vult convenire. Sin prius, non solum benè agit, si Consistorio suo litis decisionem demandet, quippe quod ipsum re-

præsentat; sed præcipuè etiam, si Adfessoribus Confistorii juramentum remittat, quò ipsi fidelitatis nomine sunt obstricti. Sin posterius, maturi consilii erit, ut Princeps se ipsum ex spontaneo arbitrio vel proprio, vel alieno etiam Confistorio subiciat, ab eodemque decisionem controversiæ matrimonialis expectet. Hinc merito felices prædicat Respublicas Illustr. Dn. Stryk *de for. Princ. & Subdit. commun. Cap. 1. n. 5.*, quibus tales contingunt Rectores, qui licet sublimis Regum ac Principum conditio longe supra Legum civilium obligationem posita sit, plerumque tamen, quò Regis ad exemplum eò facilius componerentur civium suorum actiones, spontè illorum Tribunalium & Judiciorum ordini semet subiiciunt, in quibus subditis jus dici consuevit, conf. Joh. Georg. Simon *in not. ad Grot. de J. B. & P. lib. 1. Cap. 3. §. 8. num. 15. verb. Deum de Principibus*. Blumius *in Proc. Camer. tit. 43. §. 15. seqq.* Mylerus ab Ehrenbach / *Gamolog. Person. Illustr. cap. 8. num. 6.* Schweder *Introd. in jus publ. part. spec. Sect. 2. cap. 17. §. 35.*

§, LVII. Notabile exemplum, quò præsentem materiam non parùm illustrat deprehendo in Henrico IX Rege Angliæ in causa dissolutionis matrimonii inter se & Catharinam Arragonicam ex capite nullitatis ob consanguinitatem jure divino prohibitam (a cujus veritate abstrahimus) ventilata. Comparebat enim publicè in loco judicii Rex ac Regina coràm Campegio & Wolfæo, ille Doctoribus stipatus, Richardo Samson, Johanne Bell, Petro & Johanne Fregonwell; Hæc Episcopis, Nicolao West, Ep. Eliensi, Joh. Fischer Ep. Rocestrensi, Henr. Standisch Ep. S. Asaphi. Regina quidem brevi discursu recitatio, quò innocentiam suam probare volebat, abiit; rationes tamen nihilominus in utramque partem propositæ, quas etiam exteri pariter ac Angli publicis scriptis varie agitarunt, improbantibus conjugium centum circiter Scriptoribus Protestantium, qui omnes secutò Parlamento Regi exhibiti, defendentibus contra illud variis Scriptoribus Anglis, Hispanis, Italis, Portugallis, Germanis,
Gal-

Gallis & Belgis, quos omnes recenset Dn. Becmann *in Histor. orb. terr. civil. Cap. 4. §. 3.* Quamvis verò deinde causa ad Papam pertracta fuerit, & cum hic nimis longas moras necteret, demùm Henricus suâ autoritate divortium instituendum ratus, semetipsum esse caput supremum ecclesiæ in Anglia sua edixerit, & sic Cramero ad Archi-Episcopatum Cantuariensem creato divortium ab illo publicari iussit moxque cum Anna Bolenia nuptias celebraverit; Hoc tamen exinde patet, spontaneam hanc submissionem juri Regis nihil obtulisse, qui supremam potestatem & merum Imperium habet, nec in Imperii clientela est, nec investituram ab alio accipit, nec præter Deum superiorem agnoscit, ut loquitur Camdenus *in Britannia p. 142.* vid. Bac. de Verulam. *Hist. Henr. VII. p. 28.* Illustr. Dn. Stryk *de for. Princ. & subd. comm. c. 1. num. 41.*

§. LII. Eandem cautelam adhibere possunt Principes nostri, quando quæstio dubia incidit, utrum gradus aliquis sit prohibitus in jure divino, annon? Poterunt, inquit Schweder *introd. in jus publ. d. Cap. 17. §. 26.* majoris securitatis gratia (ergo non de necessitate) extraneorum Theologorum ac Jctorum adhibere consilium, vel alterius Principis Consistorii sententiam requirere, vel etiam prout hodie plurimum fieri confuevit, insignes facultates Theologicas ac Juridicas de consilio & suffragio sollicitare. Quod si jam illi causâ probè ac pensulatè ponderata mentis sensu publicaverint, & justam subesse dispensationis causam (melius, contrahendi matrimonii licentiam) responderint, illæsa tunc conscientia illustres Imperii nostri Archontes A.C. nuptias contrahere poterunt.

§. LIX. Hac via incedebat Philippus, Hassiæ Landgravius, cum priori Conjugi, Christianæ, secundam superinduceret, Virginem quandam nobilem, Margaretham von der Sahl. Nec enim ad matrimonii consummationem procedebat, antequam trium Theologorum tunc temporis famigeratissimorum, Martini Lutheri, Philippi Melanchthonis & Martini Buceri consilium expetiverat eorumque approbationem obtinere.

nuerat. Scripta huc pertinentia exhibet Sarcerius in *Corpore juris matrimonialis* & larvatus Daphnæus Arcuarius in der kurtzen Betrachtung des in dem Natur- und Göttlichen Recht gegründeten heiligen Ehestandes und den streitigen Fragen vom Ehebruch/ der Ehescheidung und sonderlich von dem vielen Weiber nehmen p. m. 210. seqq. Potissima sunt: Instruktion, was D. Martinus Bucer an D. Martinum Lutherum, und Philippum Melancthonem werben soll/ de dato Melfingen am Sonntag nach Catharinae A. 1539. & Responsum dictorum Theologorum sub dato Wittenberg / Mittwoch nach Nicolai, ejusd. A. 1539. Ita autem censuerunt hi Theologi: Wo aber Ew. Fürstl. Gn. endlich darauff beschliessen noch ein Eheweib zu haben/ so bedencken wir/ daß solches heimlich zu halten sey/ wie von der Dispensation droben gesagt/ nemlich daß E. F. Gn. und dieselbige Person mit erlichen vertrauten Personen/ so da wissen Ew. Fürstl. Gn. Gemüth und Gewissen/ Beichte/ weiß ic. Darumb folget keine besondere Rede oder Aergerniß/ denn es ist nicht ungewöhnlich/ daß Fürsten Concubinas halten/ und ob gleich nicht alles Volk wüßte/ wie die Gelegenheit wäre/ so werden doch vernünftige Leuth sich selbstn wissen zu erinnern/ und mehr gefallens an einem solchen eingezogenen Wesen tragen/ dann an Ehebruch und andern unzüchtigen wilden Wesen. So ist auch nicht alle Rede zuachten/ wann das Gewissen recht steht/ und dieses halten wir vor recht. Denn was vom Ehestande zugelassen im Gesetz Moses ist nicht im Evangelio verboten/ welches nicht die Regiment in äußerlichem Leben ändert/ sondern bringet ewige Gerechtigkeit und ewigs Leben und führet an einen rechten Gehorsam gegen GDDt und will die verderbte Natur wieder zu recht bringen.

§. LX. Admitteret quidem hoc Responsum & rationes in eo adductæ, (quas singulas recensere nimis longum esset,) nonnullas observationes, cum fortissima decidendi ratio forsitan ex illis verbis desumpta fuerit, quæ adducebat Landgravius:

vius: Item, Er (Bucerus) solle Philippo und Luthero darnach weiter sagen/ wo ich bey ihnen keine Hülffe finde/ als ich mich doch gänzlich zu ihnen nicht versehen/ so hätte ich wohl allerley Gedancken für/ daß ich wolle bey dem Kayser darum ansuchen durch mittel Personen/ und solte michs gleich viel Geld kosten/ welches der Kayser ohne des Pabsts dispensation nicht thun würde/ &c. Sed relinquamus hoc aliis. Hoc saltem addimus, matrimonium Landgravii & Responsum Theologorum exinde defendi posse, quod nonnulli ex modernis JCtis, maxime celebribus, Polygamiam non contra jus naturale & positivum universale divinum, sed contra jus humanum saltem, esse existiment, v. Struv. *Syntagm. jur. Civ. Exerc. 29. thes. 52. conf. Exc. Dn. Thomasius in Disp. de Crim. Bigamia §. 21.* quamvis nos adhuc in contraria sumus sententia, Polygamiam per legem universalem a Deo interdictam esse existimantes.

§. LXI. *Secundo casu (v. §. L.)* ea, quæ hæcenus adducta sunt remedia, non procedunt, quia uterque conjux est æque immediatus & sic uxor Mariti vel ipsius Consistorii jurisdictionem non agnoscit. Unde Ducissa Mecklenburgensis, cujus jam supra mentionem injecimus, cum Maritus causam Consistorio & Consiliariis suis decidendam committere intenderet, in Protestatione citata inter alia adducebat, daß Er in propria causa, da Er Partis Stelle vertrete/ zugleich nicht Judex seyn/ und also die Jurisdiction, so Er selbst nicht hätte/ andern nicht demandiren könne. Eodem modo eandem contra Consistorium Augusti, Ducis Saxonici, coram quo similiter Maritus eam convenire tentabat, excepisse legitur, v. *Diar. Europ. P. II. pag. 547.*

§. LXII. Quid ergo hic consilii? Nihil certè, nisi quod alias illis suaderi solet, qui superiorem in his terris non agnoscunt, scilicet, ut in certos arbitros compromittant & ab iis causæ decisionem expectent. Sed quid si compromissum hoc renuat altera ex partibus controvvertentibus? Potest tunc Status ejusmodi immediatus, adhibito aliorum etiam Augustanæ

stanæ Confessionis Statuum consilio, causam suam sincerè & cum omnibus facti circumstantiis ad Academiam aliquam vel Consistorium extraneum & non suspectum transmittere, & petere, ut ibi à Theologis & JCtis pariter de qualitate causæ diligenter cognoscatur, an nimirum talis sit, ut processum desertionis instituere possit, (melius forsitan ita: ut se propria auctoritate ab altero separare possit,) quod consilium suggerit Bardili in *Disp. de Divort. ex caus. desert. thes. 22. num. 6.* & iisdem verbis repetitum est a Linckio in *disp. alleg. sect. 2. num. 29.* Hactenus cum Bardili convenimus. Quando autem ille pergit, quod hoc factio vel ex propriis Consiliariis, vel ex Theologis & JCtis suæ Jurisdictioni non subjectis & suspicione carentibus iudicium aliquod extraordinarium formari eidemque causa hæc decidenda committi queat; hoc nos supervacaneum esse existimamus. Ad quid enim illud iudicium extraordinariū, quod nullā planè Jurisdictione intuitu ejus gaudet, qui Rei vices sustinere debet. Et sic erroneum quoque est, quod tale iudicium adversus conjugem latitantem atque causæ cognitionem subterfugientem per modum Edictalis Citationis procedere possit. Ea enim Citatio, cum ab illo proficiscatur, qui nulla jus dicendi potestate gaudet, nullum quoque effectum post se trahet. Et id ipsum in causa fuisse putamus, quod hoc consilium nec improbaverit, nec approbaverit, sed nudè saltem recensuerit Suhweder *introd. in jus publ. Part. spec. sect. 2. Cap. 18. num. 38.* Satis erit, si Pars innocens Responsum à Facultate aliqua impetratum typis exscribi curet, ut quilibet exinde justitiam causæ & pondera rationum cognoscere possit, ulterior processus non requiritur.

§. LXIII. Ne verò putes ea, quæ hactenus adstruximus, ad solos Principes pertinere, qui regimen Provinciarum actu administrant. Nam si inter *Apanagiatos*, ut vocantur, similes controversiæ de matrimonii validitate ejusque dissolutione occurrant, idem iudicium, idem modus proceden-

cedendi obtinebit. Res longa demonstratione indigere non videtur. Quamvis enim superioritas territorialis penes solum primogenitum regentem maneat, & Apanagiatu regulariter in prædiis sibi assignatis nudum saltem usumfructum habeant, Myler, ab Ehrenbach *de Princ. & Statibus Imper. cap. 22. §. 3. 4.* quamvis etiam Status Imperii appellari nequeant, v. Besold, *lib. 1. Dissert. Nomico-polit. VI. thes. 6. Vitriar. Instit. jur. publ. lib. 3. tit. 20. §. 77. 78.* Propterea tamen non sunt subditi Primogeniti regentis, sed iisdem titulis & insignibus utuntur, quibus primogenitus, & in specie titulum: *Von Gdites Gnaden* / usurpant, Dn. Coccejus *prud. jur. publ. Cap. 27. num. 16. & 17.* Jura quoque Austregarum ipsis competunt, *Ordin. Cam. P. 2. rubr. tit. 2. seqq.* Idem *cap. 32. §. 34.* Plura qui desiderat, adire potest Springsfeld. *de Apanag. lib. 1. cap. 11. §. 113.* Schubhard. *de Austreg. cap. 3. §. 93.* Betsum *de pact. fam. illustr. cap. 8. conf. Plessinger. in not. ad Vitriar. loc. cit. §. 76.*

§. LXIV. Idem *de Principum liberis* dicendum esse opinamur. Quamvis enim Vitriarius *l. 3. tit. 17. §. 13.* falsum esse pronunciet, quod Princeps non possit esse Jdex in causa filii, sive civilis ea sit, sive criminalis, & simul ad *arg. l. 41. ff. de hered. instit.* provocet; nondum tamen videmus, quod Vitriarius eo ipso thesin suam stabiliverit, maxime quod causas civiles & sub iis matrimoniales attinet. Nobis, cum Deus & natura æquè liberos hosce Principes fecerit, ac Parentes, negativa placet cum Mylero *in Gamolog. cap. 20. num. 2. cap. 22. num. 2.* & Modest. Pistoris *part. 4. quest. 169.* Et hanc sententiam nostram per ea quoque confirmari existimamus, quæ habet Per-Illustr. Dn. de Rhetz. *Instit. jur. publ. lib. 1. tit. 23. §. 10.* dicens, liberos Principum ad privilegium primæ instantiæ, Austregas nempe, æque provocare posse ac alios Principes, si à tertio conveniantur. Hoc enim ipsis non foret indulgendum, si subditi Patris essent.

§. LXV. Nihil deesse videtur, nisi ut pluribus exemplis adhuc singula illustremus, quae in praesenti dissertatione pro variorum casuum diversitate fusè adduximus. Sed exempla quidem, si obsoleta sunt, parum gratiae interdum habent; sin autem ex recenti historia desumuntur, odiosa esse consueverunt, unde tutius est, ut ab iis plane abstrahatur. Periculosum est de iis scribere, qui possunt proscribere, dixit nonnemo: ita quoque eorum actiones sub iudicii trutinam revocare, qui superiorem non agnoscent, non adèò tutum esse videtur. Jactis benè fundamentis applicatio deinde facilis est. Subsistimus ergò. Errores, si qui irrepserunt, ut emendare humaniter velis benevole Lector, enixè rogamus. Invidis autem censoribus *argumentum l. 24. ff. de LL.* incivile est, nisi tota Dissertatione perlecta, uno aliquo ejus paragrapho proposito judicare vel respondere, de meliori commendamus.

DEO SIT LAUS ET GLORIA.



COROL-



COROLLARIA.

I.

EX causis controversis hactenus inter Protestantes ab una & Catholicos ab altera parte magno cum fervore agitatae haud postrema est, quae de dimidia parte Cœnobii *Falckenhagen* / Illustrissimo Comiti *Lippiaco* cum Patribus Jesuitis *Paderbornensibus* intercedit. Rationes quidem Jesuitarum jam fusè refutatae deprehenduntur in der *Gründlichen Ablehnung der also genandten Information an seiten der P.P. des Jesuiter Collegii zu Paderborn wieder den regierenden Herren Grafen zur Lipp / &c.* nihilominus tamen haud inconsultum fore putavimus, si pro libertate Academica de palmariis rationibus mentem quoque nostram aperiremus.

II.

Separabimus autem quæstiones facti à quæstionibus juris. Ita quæ de testamento quodam Comitis

G 3

Her-

Hermanni de A. 1621. adducuntur, in facto consistunt
hactenus non probato, cum Illustrissimi Comites præ-
tensum hoc testamētum nunquam viderint. Non-
Entis ergò hīc quoque nullæ erunt affectiones.

III.

Præcipuum Jesuitarum fundamentum quoad
punctum juris positum esse videtur in sententiis d.
d. XVII. Febr. 1626. it. d. XVI, Jul. 1630. à Judicio Au-
lico in eorum favorem promulgatis. Eruditè hoc
iterum refutatumprehenditur in d. *Ablehnung* /
quamvis nobis unice ad *Art. V. §. 2. Instrum. Pac.* ejus-
que verba: *castatis omnibus interim in istiusmodi causis*
latis, publicatis & institutis sententiis - - - & executio-
nibus, &c. recurrendum & exinde responſionem hau-
riendam esse videatur, *add. §. 29. in f. d. Art. V. ibi: cas-*
tatis rerum judicatarum &c.

IV.

Et mirum videtur, quod contra notorietatem
Jesuitæ in dubium vocare voluerint, utrum hoc Cœ-
nobium ad *classē restituendorum* pertineat? Nec non
quod Deputati Colonienſes desuper, ratione scilicet
quæſtionis: AN? deliberandi jus sibi tribuerint, cum
in *Liſta restituendorum de A. 1654.* expreſſè invenia-
tur

tur: Graff von der Lippen / contra Patres Societatis
Jesu in Paderborn das Closter Falckenhagen betref-
fend / v. Fritsch. in adnotam. ad Art. IV. Instr. Pac. Verb.
Qui & quatenus restituendi sint p. m. 424.

V.

Scrupulum movere poterat: *Utrum Illustrissimi
Comites A. 1624. in possessione hujus dimidiæ partis Cœnobii
fuerint?* sed hîc Jesuitas testes in propria causa contra
se ipsos & ideò omni exceptione majores produci-
mus. Audiamus ipsorum testimonium, quod in *In-*
formatione sua sequentem in modum perhibent: des-
wegen die Patres in A. 1623. ihn (Graff Simon) bey
dem Reichs-Hoff-Rath rechtlich besprochen und zu
dem Ende eine Commission auff den Herrn Chur-
Fürsten zu Cöln dahin ausgewircket / daß derselbe
sie in dessen possess setzen sollte = auf diesen Chur-
Fürstl. Bericht ist den 17. Febr. 1626. bey dem Reichs-
Hoff-Rath die Sententz ergangen / &c. Quis ergò
ab A. 1623 usque ad A. 1626. in possessione fuit? Dicant
DNN. Informatores.

VI.

Excipere voluerunt Jesuitæ: Hoc Cœnobium
non fuisse amplius bonum ecclesiasticum. Excepe-
runt utique, sed non probârunt, quod excipienti ta-
men incumbit. Et an forsân putant, apud Evange-
licos nulla esse bona ecclesiasticâ?

VII.

VII.

Et quid tandem? Quid si concederemus Cœnobium hoc tempore pacis Westphalicæ non amplius fuisse bonum Ecclesiasticum? Sanè hoc Jesuitis parùm profuturum esse viderur. Nec enim Instrumentum Pacis de iis loquitur bonis ecclesiasticis, quæ talia adhuc tempore conclusæ Pacis erant, sed de talibus saltem, quæ qualitatem Ecclesiasticam olim quondam apud Catholicos habuerunt. Et putamus tempore Pacis plurima Cœnobia alia ad usus profanos jam applicatos fuisse, quæ nihilominus possessoribus suis A. 1624. relicta sunt & confirmata.



ULB Halle
002 406 853


3



Sb.

vol 18







75.

DISSERTATIO JURIS PUBLICI
De ^{1702 1789 5}
**JUDICE IN CAU-
SIS PRINCIPUM PRO-
TESTANTIIUM MATRIMO-
NIALIBUS,**

Quam
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE ET DOMINO,
**DN. FRIDERICO
WILHELMO,**
REGNI BORUSSICI, ELECTORATUS ET PRO-
VINCIARUM BRANDENB. HEREDE,
ET RELIQUA,

In Illustri Academia Fridericiana
PRÆSIDE

JAC. FRIDERICO LUDOVICI,
JUR. LIC. ET PROFESS. PUBL. EXTR.
Publico Eruditorum examini submittit

DIETERICH DE GROTEN,
Eques Gvestphalus.

Ad D. XXX. Mart. MDCCII. Horis locoque consuetis.

HALÆ MAGDEBURGICÆ,
Litteris Christiani Henckelii, Acad. Typogr.

75.

